DE INFINITIVI FINALIS VEL CONSECUTIVI CONSTRUCTIONE APUD PRISCOS POETAS GRAECOS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN UNIVERSITATE COLUMBIAE

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CHARLES JONES OGDEN

[Diss. New York]

NOVI EBORACI

MDCCCCIX

DE INFINITIVI FINALIS VEL CONSECUTIVI CONSTRUCTIONE APUD PRISCOS POETAS GRAECOS

DE INFINITIVI FINALIS VEL CONSECUTIVI CONSTRUCTIONE APUD PRISCOS POETAS GRAECOS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN UNIVERSITATE COLUMBIAE

RITE IMPETRANDOS

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

SCRIPSIT

CHARLES JONES OGDEN

NOVI EBORACI

MDCCCCIX

PRESS OF
THE NEW ERA PRINTING COMPANY
LANCASTER, PA.

This monograph has been approved by the Department of Greek in Columbia University as a contribution to knowledge worthy of publication.

E. D. PERRY
J. R. WHEELER
C. H. YOUNG

DE INFINITIVI FINALIS VEL CONSECUTIVI CONSTRUCTIONE APUD PRISCOS POETAS GRÆCOS

PRÆFATIO

Vir doctus,[1] cum de quæstionibus quibusdam grammaticæ Græcæ nuper disputaret, hæc dixit: 'The simple infinitive of so-called purpose, whatever it was with Homer, as in *δὸς ἄγειν*, is in classic prose not a purpose in the great majority of cases, but a permission, or commission, or something analogous. There is no more purpose in *οὓς εἵλεσθε ἄρχειν μου* than in (Xen. Hell. II, 3, 35) *προέμενοι αὐτοὺς ἀπολέσθαι*. The limitations of this use of the infinitive I have never seen satisfactorily stated.'

Cum iam animadvertissem hanc infinitivi constructionem, quæ cum in aliis linguis recentioris ætatis est frequens, tum vero in Anglica frequentissima, rariorem esse in sermone Attico, non inutile fore putavi auctore Humphreysio quærere quomodo scriptores Græci antiquissimi eam usurpassent, ut eorum spectata consuetudine fundamenta essent ad ceteras litteras perscrutandas posita. Neque enim, quamquam multa de hac constructione apud singulos scriptores multi iam tractaverunt, quo sunt in numero Meyerus,[2] La Rocheius,[3] Meierheimius,[4] Steinacherius,[5]

[1] Humphreys, M. W., The Problems of Greek, Congress of Arts and Science, St. Louis, 1904, Vol. III, pp. 171 sq.

[2] Meyer, L., Der Infinitiv der homerischen Sprache, Göttingen, 1856.

[3] La Roche, J., Der Infinitiv bei Homer, Homerische Untersuchungen, II, Leipzig, 1893, pp. 45–73.

[4] Meierheim, C., De infinitivo Homerico capita III, Specimen I, Gottingæ, 1875.

[5] Steinacher, J., Die Syntax des Hesiodeischen Infinitivs, etc., Landskron, 1885.

eorum quisquam quod sciam materiam satis uberem et collegit et idem ordine disposuit terminisque certis circumscripsit. Nam quæ exempla congesserunt Meyerus et La Rocheius pleraque sunt confusa neque ab aliis constructionibus bene distincta; quæ autem Meierheimius luculenter tractavit ita ordinavit ut originem infinitivi potius exquireret quam usum definiret. Hac igitur dissertatione infinitivi qui finalis vel consecutivus appellatur constructionem tractabo qualis est primum in fontibus illis omnium litterarum Græcarum, Iliade et Odyssea, deinde in carminibus quæ ex iis conformationem verborum magna quidem ex parte hauserunt, Hesiodeis, Hymnis Homericis, fragmentis ceterorum epicorum priscorum. Quibus accedent elegiacorum fragmenta, quippe quæ redoleant sermonem epicum; neque ab his iambographi in editionibus nostris adiuncti separandi sunt.

Quæstio igitur in duas partes erit divisa, quarum una infinitivi constructio qualis est in Iliade Odysseaque ita tractabitur ut appareat quatenus sit usurpata in ea linguæ Græcæ forma qua nullam antiquiorem cognoscere nunc possumus; altera vero, quæ multo minor et quasi in appendicis loco erit, consuetudo reliquorum scriptorum explicabitur et cum Homerica comparabitur.

PARS PRIOR: DE INFINITIVI CONSTRUCTIONE IN ILIADE ET ODYSSEA

Prooemium

Priusquam infinitivos finales vel consecutivos enumeremus, pauca de dispositione dicere necesse est. Primum enim fatendum est nos his vocibus 'finali' et 'consecutiva' abuti cum quæ de enuntiatis secundariis proprie dicantur, ea adhibeamus ad infinitivos definiendos, in quibus sæpe notiones et finis et consecutionis simul inhæreant adeo ut inter se distingui non possint. Quam ob rem si infinitivo vis modo finalis modo consecutiva videtur inesse, non idcirco licet nobis cum Stahlio[1] facientibus ea ratione partiri exempla. Nec multum prodest quærere quatenus vim principalem, quæ dativi casus propria videtur fuisse,[2] infinitivus linguæ Homericæ servet; nam licet a dativo duxerit originem, constat tamen tum cum poesis epica floreret, dativos numeri singularis in litteras *αι* desinentes iam obsolevisse eique casui detractam esse significationem finalem; quare infinitivus iam videri dativo similis non poterat. Melius erit igitur, subtiliore quæstione omissa, exempla huius constructionis rationibus planis atque apertis disponere. Quarum forsitan ea optima videatur quam est secutus La Rocheius, ut exempla ad verba quibuscum infinitivi coniuncti essent ordinaret; sed, cum sæpe verbum idem diversas adsciscat constructiones, minus perspicua sit divisio nec declaret quæ ratio sit infinitivi cum ceteris sententiæ partibus coniungendi. Aliam igitur, quæ est Meierheimii, insecutus sum, ut quæ vocabula enuntiati principalis sint artissime cum infinitivo coniuncta, ad ea potissimum in distribuendo spectem. Ille enim spectans ad

[1] Stahl, J. M., Kritisch-historische Syntax des griechischen Verbums, Heidelberg, 1907, pp. 606 sqq.

[2] Brugmann, Gr. Gramm., ed. 3, § 570.

vocabulum quod est subiectum actionis per infinitivum significatæ sic distribuit exempla: '*a*) in quibus subiectum infinitivi deesse et supplendum esse dicunt. *b*) Subiectum infinitivi dativus est. *c*) Accusativus cum infinitivo. *d*) Infinitivi et verbi finiti subiectum idem est.'[1]

Sed ne hic ordo totus servetur varia monent. Primum enim aliud caput est faciendum, quo contineantur infinitivi quales sunt N 814 *χεῖρες ἀμύνειν εἰσὶ καὶ ἡμῖν*, N 312 *ἀμύνειν εἰσὶ καὶ ἄλλοι*, qui, quamquam id quod fieri potest potius quam exitum vel consilium notant, ab hac constructione minime sunt abiudicandi. Cum autem eo maxime a ceteris infinitivis differant, quod illi cum enuntiatis sunt iuncti quæ motum vel actionem significant, hi cum iis quæ statum vel condicionem, genus hoc ad naturam enuntiati principalis constituere necesse est. Sed etiam in illo genere infinitivus non solum per vocabulum quod subiectum eius esse dicimus cum enuntiato principali potest esse coniunctus sed vero per obiectum suum, veluti δ 89 *παρέχουσιν ἐπηετανὸν γάλα θῆσθαι*, ubi *γάλα* in accusativo positum et ad verbum et ad infinitivum relatum est; ac multa alia exempla in quibus subiectum infinitivo deesse videtur facilius tractabuntur si obiecti rationem habebimus. Ergo exempla infinitivorum qui effectum actionis indicant sic in genera distribuemus:

In genere I, subiectum verbi principalis est subiectum infinitvi;
" " II, obiectum verbi principalis est subiectum infinitivi;
" " IIIa, obiectum verbi principalis est obiectum infinitivi;
" " IIIb, alia ratio intercedit inter infinitivum et accusativum aut alium casum obliquum cum verbo principali coniunctum;
" " IV, infinitivus pendet ex enuntiato statum significante.

[1] Op. cit., pp. 28, 35, 43, 59. De hac re fusius disserit auctor pp. 24 sqq.

Animadvertendum est nos has voces 'subiectum' et 'obiectum' usurpare potius ad naturam sententiæ quam ad conformationem verborum spectantes, ut subiectum verbi passivi fungi obiecti vice dicamus. Neque satis absolute dividi possunt exempla quin nonnulla in plura cadant genera; quæ, ne linguæ consuetudini ordinem arte grammatica confectum anteponamus, cum iis constructionibus proferemus quibus simillima erunt visa. Restant etiam quæ utrum ad constructionem finalem vel consecutivam an alio sint referenda ambigatur, velut infinitivi coniuncti cum verbis nitendi, properandi, vocandi. Quæ cum certa ratione definiri non possint, suo quodque loco breviter tractabuntur. Denique aliæ quædam constructiones infinitivis huiusmodi similem habentes significationem strictim sunt investigandæ; nam quantus sit usus constructionis cuiusque recte cognoscere nequeamus nisi ea exempla cum ceteris modis eandem rem dicendi comparemus. Sed cum in maxima linguæ Græcæ copia sæpe lateat causa cur alia alii præferatur constructio, non nisi frequentissimam quamque earum quæ possunt infinitivo comparari perstringam.

CAPUT I

Subiectum verbi principalis est subiectum infinitivi

Ab exemplis[1] ordiemur in quibus a verbo eundi pendet infinitivus, quod vim constructionis maxime declarent. Primum obtinet locum vox illa quæ constat e *βῆ* (*βάν*, *βῆν*) verbo cum *ἰέναι* (*ἴμεν*, *ἴμεναι*) infinitivo coniuncto. Cuius exempla sunt in Iliade duo et triginta, in Odyssea unum et quadraginta: Δ 199. 209. Ε 167. Ζ 296. Θ 220. Ι 596. Κ 32. 73. 136. 179. 273. 297. 336. Μ 299. Ν 167. 208. 242. 789. Ξ 134. 166. 188. 384. Ο 483. Π 221. Ρ 657. Τ 241. Υ 32. 319. 484. Φ 205. Ω 95. 347. *α* 441. *β* 5. 10. 298. 394. *δ* 24. 310. 528. 679. 779. *ε* 475. *ζ* 15. 50. 130. *θ* 56. 109. 273. 277. 287. [303].[2] *κ* 208. 407. *μ* 367. *ν* 160. *ξ* 73. 532. *ο* 109. *π* 341. 413. *ρ* 365. 604. *σ* 341. 428. *τ* 429. *υ* 146. *φ* 8. 58. *χ* 109. 146. 179. 400. His similia sunt: *βῆ* cum *θέειν* Β 183. Λ 617. 805. Μ 352. Ξ 354. Ρ 119. 698. *ξ* 501. *χ* 99; *βῆ* cum *ἐλάαν* Ν 27; *ἔβαν* cum *νέεσθαι* Ψ 229. *ξ* 87.

Hi loci, ab omnibus inter exempla infinitivi finalis relati, eo sunt singulares quod certis verbis vel, ut ita dicam, formulis concepti sunt. Namque tres primæ voces eam habent conformationem ut verbum in aoristo positum sequatur *δέ* aut *ῥα* particula, tum autem infinitivus temporis præsentis; atque omnes in principio versus inveniuntur, excepto illo *αὐτὰρ ὁ βῆ ῥ' ἰέναι* Κ 73. Υ 484. Φ 205. Reliquæ vero vocis exempla, *ἔβαν οἰκόνδε νέεσθαι* Ψ 229. *ξ* 87, sunt in fine versus. Quod si in his solis vocibus infinitivus est cum *βαίνω* verbo coniunctus,

[1] Ilias laudatur ex editione quam curaverunt Monro et Allen, Homeri Opera, I et II, Oxon., 1902; Odyssea ex editione Monrovii, Homeri Opera et Reliquiæ, Oxon., 1896.

[2] Om. codd. plerique.

colligere licet hanc constructionem, tum cum oratio epica maxime vigeret, vi finali obscurata, a vetustate esse repetitam.[1]

Non ita sæpe infinitivus invenitur cum aliis verbis eundi coniunctus. Haec autem omnino sunt eius exempla: cum *εἶμι* H 75. 372 sqq.; *ἕπομαι* Δ 476. λ 493; *ἱκάνω* Ψ 214;[2] *ἀνίσταμαι* υ 380; *σκίδναμαι* Ω 2; *ἠερέθομαι* Φ 12 sq.; *ἀΐσσω* Φ 247; *τρωπάομαι* Λ 568; *συμβάλλω* Π 565;[3] *συμβάλλομαι* M 377.[4]

Alia vero liberiorem quandam constructionem habent: Π 834 (*ἵπποι*) *ποσσὶν ὀρωρέχαται πολεμίζειν*, Π 218 sqq. *θωρήσσοντο* — *πολεμιζέμεν*, α 155 = θ 266. ρ 262 *ἀνεβάλλετο* — *ἀείδειν*, Θ 253 sqq. *οὔ τις . . . | εὔξατο Τυδεΐδαο πάρος σχέμεν ὠκέας ἵππους | τάφρου τ' ἐξελάσαι καὶ ἐναντίβιον μαχέσασθαι*, K 358 sq. *λαιψηρὰ δὲ γούνατ' ἐνώμα | φευγέμεναι*, M 222 *οὐδ' ἐτέλεσσε φέρων δόμεναι τεκέεσσιν ἑοῖσιν* (sc. *δράκοντα*).[5] Hic est etiam commemorandus, sententia potius quam forma spectata, locus N 515 *τρέσσαι δ' οὐκέτι ῥίμφα πόδες φέρον ἐκ πολέμοιο.*

Iam ad exempla transeamus in quibus infinitivus non modo cum subiecto enuntiati principalis sed etiam cum parte aliqua prædicati est coniunctus. Quorum primum est *μάστιξεν δ'* (vel *ῥ'*) *ἐλάαν* E 366. Θ 45. X 400. γ 484. 494. ζ 82. ο 192.[6] Deinde duo loci: Φ 369 *Ἥρη, τίπτε σὸς υἱὸς ἐμὸν ῥόον ἔχραε κήδειν;* φ 68 sq. *οἳ τόδε δῶμα | ἐχράετ' ἐσθιέμεν καὶ πινέμεν ἐμμενὲς αἰεὶ*, ubi accusativi maxime e *χραύω*, 'appeto,' videntur pendere. Genetivus autem est *ἀπὸ κοινοῦ* positus λ 591 *τῶν ὁπότ' ἰθύσει' ὁ γέρων ἐπὶ χερσὶ μάσασθαι*, X 194 sq. *ὁσσάκι δ'*

[1] Hæc res digna est quæ animadvertatur, quod, cum usum constructionis ratione temporum definimus, obsoleta sunt seiungenda.

[2] *αἶψα δὲ πόντον ἵκανον ἀήμεναι* (sc. *ἄνεμοι*). Sed *ἀήμενοι*, quod coniecit Meierheim, op. cit., p. 71, a multis est probatum, cf. Ameis-Hentze, Anh. ad loc., et Leaf ad loc.

[3] Accusativum *φάλαγγας* e v. 563 audire vult Leaf, sine causa ut videtur.

[4] Activam formam verbi scribit Leaf, codicem T(ownleianum) secutus.

[5] Infinitivus hic non e *φέρων* participio sed ex *ἐτέλεσσε* (*ὁδόν*) pendet. Vide Meierheim, op. cit., pp. 63 sq.

[6] Accusativus *ἵππους* (*ἡμιόνους* ζ 82) non modo cum verbo sed etiam cum infinitivo est audiendus.

ὁρμήσειε πυλάων Δαρδανιάων | ἀντίον ἀΐξασθαι ἐϋδμήτους ὑπὸ πύργους.[1]

De his quidem verbis vocibusque, quæ propriam servant significationem, dubitatio nulla est orta quin finalem constructionem adsciscerent; nunc autem difficiliora sunt tractanda, quæ iam in carminibus Homericis ex significatione eundi in aliam cœpta erant transferri, qualia sunt verba *ὄρνυμαι, ὁρμάομαι, ἵεμαι*.[2] Meierheimius quidem ad naturam constructionis definiendam proposuit hanc regulam:[3] 'si verba eundi proprium sensum, ut corporis motus designetur, habent, inf. est finalis, si vero translatum sensum, inf. alteri rationi, directioni, indicandæ inservit (hoc autem loco, ut per se patet, inf. fin. non excluditur). Si hæc regula vera est, quæstionem multo faciliorem esse apparet, tum enim sufficit cognosse, utrum proprium an translatum sensum in singulis exemplis verba eundi habeant.' At illud ipsum minime facile est cognitu; nam semper fere in huiusmodi verbis fieri potest ut, infinitivo adiuncto, vim translatam habeant; quam ob rem necessario dubium est utrum finalis sit infinitivus an artius cum verbo coniunctus ad explendam sententiam usurpetur. Quomodo enim vertendum est Ξ 397 (*πῦρ*) *ὅτε τ' ὤρετο καιέμεν ὕλην*, utrum 'cum ignis incitavit sese ut silvam ureret,' an simpliciter 'cum ignis cœpit silvam urere'? Quæ cum alius aliter sit iudicaturus, non expedit plura moliri; sed ne tota quæstio in medio relinquatur, eorum locorum faciam mentionem in quibus paulo apertior est vis finalis. Verba autem sunt hæc: *ὄρνυμαι* N 62. Ψ 488 sq. β 397. γ 176. ζ 255. η 14; *ὁρμάομαι* N 64. 188 sq. (cf. 182 sq.); *ὀτρύνομαι* H 420. ρ 183; *ὁπλίζομαι* H 417 sq.; *ἵεμαι* N 501

[1] Edd. plerique iungunt *πυλάων* cum solo infinitivo, sed poscit rhythmus ut e verbo pendeat. Vide Seymour, T. D., On the Homeric Cæsura, Harv. Stud., III, p. 110.

[2] De hoc verbo, quod in tempore præsenti cum *ἵημι*, in futuro et aoristo cum *εἶμι* sæpe est confusum, vide van Leeuwen, Enchiridium Dictionis Epicæ, § 41. 44, § 201; Meyer, L., Bezzenbergers Beiträge, I, pp. 301 sqq.

[3] Op. cit., pp. 66 sq.

= Π 761.[1] N 707.[2] θ 283;[3] ἄρχω, 'præeo,' B 84. N 329. Π 65; σπέρχομαι T 317 sq.; σεύομαι P 463; ἐπισεύομαι Φ 601; ἰθύω P 353;[4] ἐπιθύω Σ 174 sq.

His exemplis enumeratis, licet denique pauca proferre in quibus infinitivus, cum a verbis pendeat quæ motum animi, non corporis significant, tamen servat vim finalem vel consecutivam: Ω 2 sq. τοὶ μὲν δόρποιο μέδοντο | ὕπνου τε γλυκεροῦ ταρπήμεναι, I 322 αἰὲν ἐμὴν ψυχὴν παραβαλλόμενος πολεμίζειν, Π 74 sq. οὐ γὰρ Τυδεΐδεω Διομήδεος ἐν παλάμῃσι | μαίνεται ἐγχείη Δαναῶν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι, X 474 ἀτυζομένην ἀπολέσθαι, '(ita) consternatam ut periret.' Locum P 489 sq. ἐπεὶ οὐκ ἂν ἐφορμηθέντε γε νῶϊ | τλαῖεν ἐναντίβιον στάντες μαχέσασθαι Ἄρηϊ, ita interpretantur Ameis-Hentze ad loc., ut νῶϊ e τλαῖεν verbo pendeat atque infinitivus sit finalis. Sed cum ἔτλην nusquam alibi accusativum adsciscat, malo Leafium sequi anacoluthon statuentem.

De aliis constructionibus.—Inter constructiones quæ infinitivi munere fungi videntur participium futuri præcipue commemorandum est, cuius apud Homerum infinitivo finali simillimus est usus; nam, paucis locis exceptis,[5] cum verbis motum significantibus coniungi solet ad finem notandum. Exempla autem, cum a Classenio sint enumerata,[6] hic tantummodo per-

[1] Vide Leaf ad loc.

[2] Si quidem scribimus e coniectura van Herwerdeni, quam receperunt Cauer et Ameis-Hentze, ἱεμένω κατὰ ὦλκα ταμεῖν ἐπὶ τέλσον ἀρούρης.

[3] εἴσατ' ἴμεν ἐς Λῆμνον, 'profectus est ire Lemnum.' Alii εἴσατο ab εἴδομαι, 'videor,' esse volunt, sed hoc minus aptum. Vide Ahrensii sententiam laudatam ab Ameis-Hentze, Anh. ad loc.

[4] ἴθυσεν δὲ καὶ ὁ πρόφρων Δαναοῖσι μάχεσθαι. Meierheim, op. cit., p. 75 n., existimat infinitivum a πρόφρων adiectivo pendere. Sed cum exemplum certum huius constructionis non sit apud Homerum, præstat πρόφρων infinitivo adiungere, 'ut libens pugnaret.'

[5] Vide Monro, Hom. Gramm., ed. 2, § 244; Classen, J., Beobachtungen über den Homerischen Sprachgebrauch, Frankfurt 1879, pp. 78 sqq.

[6] Hæc autem in enumeratione Classenii, op. cit., p. 79, sunt corrigenda addendave. Pro Ω 248 (l. 15) scribendum Ω 240 et pro τ 509 (l. 13) τ 504. Loci Λ 101. τ 48. 504 sub βαίνω, non εἶμι subiciendi sunt; χ 162 sub βαίνω, non ἔρχομαι; K 387 sub ἔρχομαι, non προΐημι; Ω 77 = 159 sub ὄρνυμαι, non ὀτρύνω.

stringemus, ita ut ea in quibus participium est ad subiectum relatum cum infinitivo conferantur. Intellegendum est participia desiderativa, *κέων* seu *κείων* et *ὀψείων* esse adnumerata.

Sæpissime vero cum *βαίνω*, *εἶμι*, *ἔρχομαι* coniunctum est hoc participium; cuius exempla sunt cum *βαίνω* et compositis coniuncti XVIII, cum voce *βῆ . . . ἰέναι* IX, cum voce *βῆ δὲ θέειν* I, cum *εἶμι* et compositis XXV, cum *ἔρχομαι* et compositis XXVI. Participii cum aliis verbis coniuncti quæ nonnumquam infinitivum adsciscunt pauciora sunt exempla; cum *ἕπομαι* II, cum *ἵκνεομαι* I (*κ* 492, sed cf. *κ* 565, qui versus p. 19 tractabitur), cum *ὄρνυμαι* V, singula cum singulis verbis *ἱκάνω*, *ἀνίσταμαι*, *ὁπλίζομαι* et cum voce *πόδες φέρον*. Sunt autem exempla XIX participii cum aliis verbis eundi coniuncti quæ infinitivum non adsciscunt; ac III (*ζ* 58 sq. *ρ* 298 sq. *τ* 506 sq.) cum verbis transitivis coniuncti relatique ad subiectum. Denique in duobus tantum locis coniunctum est cum verbis motum non significantibus: T 120 *ἀγγελέουσα προσηύδα*, *ψ* 16 *ἐρέουσα . . . ἀνεγείρεις*.[1]

Apparet igitur tria verba eundi usitatissima participium futuri adeo adsciscere solere ut nullus fere sit infinitivi usus, voce *βῆ δ' ἰέναι* similibusque exceptis; cetera autem utramque constructionem pariter recipere. Sed his de rebus plura dicemus cum reliqua genera infinitivorum excusserimus.

Nunc autem aliud quærendum, liceatne enuntiata secundaria quæ finem significent cum infinitivis comparare, præsertim cum multa quidem ita sint conformata ut infinitivus pro iis reponi non possit. Ac primum infinitivus finalis cum particula negativa coniunctus in carminibus Homericis quidem non invenitur;

Φ 530 participium præsentis nunc legitur. Addenda sunt hæc: loci iterati *α* 424 (= Α 606). *δ* 528 (= *δ* 24). *χ* 434 (= *σ* 186); *ἀντιόων* (— *ωσα*, — *ωντες*) participium futuri Υ 125. Φ 431. *α* 25. *γ* 436. *ω* 56; *ὀψείοντες* desiderativum Ξ 37; *ἰών* futurum tempus significans *ξ* 526; varia Λ 652. Ξ 304. Ο 179 (v. l. *πολεμίζων*). Ρ 146. Ψ 226. *θ* 257. *ξ* 433. *ψ* 16 (locus corruptus?)

[1] Locus vexatus, qui fortasse Axtii coniectura *εἴρουσα* sanandus est; vide Ameis-Hentze Anh., van Leeuwen et Mendes ad loc.

cuius rei ea videtur esse causa quod etiam inerat in illo tanta vis substantiva ut actio significata nequiret per particulam, ut in verbo, negari. Quæ autem sunt apud posteriores scriptores, velut τοῦ μὴ τὰ δίκαια ποιεῖν, Dem. 18, 107, a dictione Homerica longe abhorrent. Deinde infinitivus qui, ut supra monuimus, terminum vel effectum actionis potius quam ipsum finem notat, eo minus est aptus ubi notio finis non ex tota sententia colligitur sed constructione verborum aperte declaranda est. Ergo si quid dicitur per ironiam, ut Z 143 ἆσσον ἴθ', ὥς κεν θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ' ἵκηαι, finalis constructio potius usurpatur quam infinitivus. Qui contra si habet vim consecutivam, ut N 515 τρέσσαι δ' οὐκέτι ῥίμφα πόδες φέρον ἐκ πολέμοιο, illa plane non potest reponi. Sed plura exempla proferamus non est necesse; nam, ut ante dictum est, rationes inter usus variarum constructionum distinguendi, cum in re metrica rhetoricaque ac tota dictione sitæ sint, obscuriores solent esse quam ut subtiliter investigentur. Itaque in re dubia hoc tantum conabor, quæ enuntiata finalia propius ab infinitivis supra tractatis abesse videantur, ea comparandi causa hoc loco enumerare. Hæc autem subiectum idem habent atque enuntiata e quibus pendent et plerumque cum verbis eundi sunt coniuncta. Sed ad exempla pergamus, quæ sunt: cum βαίνω verbo et compositis, (ὄφρα) E 110. 227 = P 480. ξ 327 = τ 296. (ἵνα) ξ 71. (ὅπως) ν 319; βῆ δ' ἴμεναι (ἵνα) ζ 50; εἶμι, (ὄφρα) B 440. M 356. Σ 63. 114. 147. δ 713. θ 12. ψ 83. (ἵνα) Ω 43. γ 361; ἔρχομαι et compositis, (ὄφρα) Z 280. 365. Λ 839. α 88. γ 426. λ 94. ρ 52. σ 183. (ἵνα) A 203. H 26; ἕπομαι (ὄφρα) γ 359. κ 426. ο 432. (ἵνα) Π 576. λ 169; ἱκνέομαι (ἵνα) ν 303; ὄρνυμαι (ἵνα) Λ 2 = T 2 = ε 2. Φ 249; ὀτρύνομαι (ὥς κε) η 223; cum aliis verbis vocibusque eundi, (ὄφρα) Γ 163. M 281. P 685. μ 333. χ 11. (ἵνα) Λ 290. O 402. P 126. Φ 539. γ 2. θ 307. λ 561; cum verbis consistendi manendique, (ὄφρα) γ 285. τ 45. (ἵνα) μ 185. π 369.

Animadvertendum est in parte plus dimidia horum exem-

plorum verbo principali, quod in persona prima futuri vel subiunctivi aut in imperativo aut in infinitivo e verbo iubendi pendente sit positum, notionem voluntatis inesse; quam ob rem enuntiata finalia, quæ item voluntatem notant, facillime adiunguntur.[1]

Enuntiata relativa, cum easdem ob causas quas adverbialia haud facile cum infinitivo comparantur, tum propriam habent ambiguitatem; nam quale sit enuntiatum non pronomine relativo sed solo modo verbi indicatur. Itaque in laxiore modorum usu Homerico sæpissime ambigitur, ut hunc locum, λ 134 sq. *θάνατος . . . ἐλεύσεται, ὅς κέ σε πέφνῃ,* licet vertere vel 'mors veniet quæ te interfic*iet*' vel 'mors veniet quæ te interfic*iat*.' Sed quod finem quasi circuitione significant et per pronomen relativum ad certum vocabulum enuntiati principalis referuntur, eo hæc enuntiata infinitivis propius accedunt. Neque ea in quibus est optativus cum *κεν* aut *ἄν* coniunctus prætereunda sunt, quippe quæ præ se ferant vim consecutivam. Paucissima vero in hoc genere cum infinitivis possunt comparari: σ 334 sqq. *μή τίς τοι τάχα Ἴρου ἀμείνων ἄλλος ἀναστῇ | ὅς τίς σ' . . . ἐκπέμψῃσι,* Ψ 674 sq. *κηδεμόνες δέ οἱ ἐνθάδ' ἀολλέες αὖθι μενόντων, | οἵ κέ μιν ἐξοίσουσιν,* Ω 149 = 178 *κῆρύξ τίς οἱ* (*τοι* v. 178) *ἕποιτο γεραίτερος ὅς κ' ἰθύνοι. . . .*

[1] Vide Hentze, C., Zur Entwickelungsgeschichte der Finalsätze, Philologus, 65, pp. 172 sqq., 178 sqq.

CAPUT II

Obiectum verbi principalis est subiectum infinitivi

A verbis mittendi, quibuscum sæpissime iunctus est infinitivus, ordiemur.

πέμπω et composita adsciscunt infinitivum *νέεσθαι*, Σ 240. Φ 47 sq.[1] 598. δ 8. ν 206. φ 374. ψ 23; infinitivos aliorum verborum eundi, Π 575. 671 = 681.[2] δ 29. ξ 396 sq. υ 361 sq.; infinitivos alia significatione, Α 442 sqq. Γ 116 sq. Π 240 sq. 454.[3]

Hæc exempla non sunt certis verbis concepta, nisi quæ continent *νέεσθαι* infinitivum excipimus, qui semper est in fine versus nec multum ad sententiam adfert. Sed cum verbum principale locum certum non habeat, haud scio an hanc negemus esse formulam.

ἵημι e t c o m p o s i t a. Digna sunt quæ separatim tractentur *προΐημι* et composita, quæ sæpe adiungunt infinitivos significationem habentes eundi, Γ 118 sq. Ο 254 sq. Ρ 708 sq. β 147.

[1] *ὅς μιν ἔμελλε | πέμψειν εἰς Ἀΐδαο καὶ οὐκ ἐθέλοντα νέεσθαι.* Infinitivus *νέεσθαι* cum *πέμψειν* videtur esse coniungendus, cf. Σ 240; sed etiam fieri potest ut ab *οὐκ ἐθέλοντα* pendeat, cf. ο 72.

[2] *πέμπε δέ μιν πομποῖσιν ἅμα κραιπνοῖσι φέρεσθαι*, 'committe(bat) eum . . . ferendum.' Multi, velut Ameis-Hentze ad loc., *μιν* pro obiecto *φέρεσθαι* infinitivi habent, ut hæc sit sententia: 'committe(bat) eum ducibus celeribus ut secum ferrent.' Cf. Π 454. ω 419. Sed *πέμπω* duobus tantum locis, π 83 sq. ω 419, dativum cum infinitivo adsciscit, nec forma media huius infinitivi neque *ἅμα* adverbium hac constructione explicantur. Cf. Α 592, ubi *φερόμην* passive dictum est de eo qui lapsu per aërem fertur.

[3] *πέμπειν* (pro imperativo) *μιν Θάνατόν τε φέρειν καὶ νήδυμον Ὕπνον.* Ameis-Hentze, adn. et Anh. ad loc., *μιν* accusativum ad *πέμπειν* relatum ac *Θάνατον* esse subiectum *φέρειν* infinitivi existimant. Sed accusativus qui ad solum infinitivum finalem, non ad verbum principale sit relatus, nullo alio loco apud Homerum invenitur. Quare satius est, *μιν* ad *φέρειν* relato, constructionem usitatam recipere. De traiectione pronominis cf. Χ 339 *μή με ἔα παρὰ νηυσὶ κύνας καταδάψαι Ἀχαιῶν.*

γ 183. δ 161 sq. κ 25. τ 468; ducendi, ferendi, vocandi, K 125, P 545 sq. θ 399 = σ 291. μ 9 sq. ν 64 sq. ξ 26 sq. ψ 44. 51; dicendi, discendi, I 442. 520. K 388. 562 sq. Λ 201. 649. δ 681 sq. 829. ι 88 = κ 100. κ 155. Verbum simplex (ἵημι) adsciscit hos infinitivos: νέεσθαι Δ 397; κεῖσθαι P 299 sq.; φέρεσθαι Φ 120. μ 442; ἀντιβολῆσαι Ω 375. Compositorum autem reliquorum exempla sunt: ἀνίημι δ 567 sq.;[1] ἐξανίημι Σ 471 sq.; συνίημι A 8. H 210; ἐνίημι μ 65.

Præter verba mittendi alia complura infinitivum adsciscunt, sed plerumque semel bisve singula. Sunt autem: ἄγω et composita, N 602 sq. δ 36. θ 529. ξ 272 = ρ 441; ὀπάζω ν 68; σεύω Λ 147. ζ 89 sq.; ὠθέω E 854; τρέπω M 32; ἀνηρείψαντο Υ 234;[2] συμβάλλω Γ 70; ζεύγνυμι Υ 495 sq.; δέω (vincio) Ω 15; πίτνημι Φ 6 sq.;[3] διακοσμέω B 476 sq.; ἀνεῖσα (in sede collocavi) Ξ 209;[4] ἵστημι et composita Δ 156. 298 sq.; τεύχω Σ 373 sq. η 92 sq.; ποιέω Π 171 sq.[5] κ 21 sq; ἐπιτρέπω β 226 sq.;[6] ἀποικίζω μ 135 sq.; πλάζω ω 307; ἐέργω ξ 411; κλίνω χ 121; τίκτομαι E 154.

Dubia sunt hæc exempla: ι 486 = 542 θέμωσε δὲ χέρσον ἱκέσθαι (sc. νῆα), ubi quid significet θέμωσε verbum non liquet. Quod si idem valet atque ἤγγισε, ut Aristarchus interpretabatur,

[1] ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο λιγὺ πνείοντος ἀήτας | Ὠκεανὸς ἀνίησιν ἀναψύχειν ἀνθρώπους. Meierheim., op. cit., p. 60, Ὠκεανὸς esse subiectum infinitivi facit, sed perperam, ut videtur.

[2] Vide Leaf ad loc., et van Leeuwen, Ench., § 224. 1, de hoc verbo vocibus ἁρπάζω et Ἅρπυια cognato.

[3] τῇ ῥ' οἵ γε προχέοντο πεφυζότες, ἠέρα δ' Ἥρη | πίτνα πρόσθε βαθεῖαν ἐρυκέμεν. Meierheim, op. cit., p. 60, Ἥρη pro subiecto infinitivi habet; sed cf. Φ 59. 62 sq., ubi res est huius verbi subiectum, deque sensu E 316.

[4] Vide van Leeuwen, Ench., § 220. 2, de hoc verbo, quod constat ex ἵζω ac non ex ἵημι, ut olim videbatur, esse derivatum.

[5] πέντε δ' ἄρ' ἡγεμόνας ποιήσατο τοῖς ἐπεποίθει | σημαίνειν. Infinitivus cum ποιήσατο, non cum ἐπεποίθει videtur coniungendus.

[6] καί οἱ ἰὼν ἐν νηυσὶ ἐπέτρεπεν οἶκον ἅπαντα, | πείθεσθαί τε γέροντι καὶ ἔμπεδα πάντα φυλάσσειν. Versum 227, quem in margine habet cod. G., propter constructionem mutatam delevit van Herwerden, quem secuti sunt van Leeuwen et Mendes in editione sua.

infinitivus vim habet consecutivam; sin est 'coëgit,'[1] infinitivus explet sententiam.

In loco Π 861 (Ἀχιλεύς) φθήῃ ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ τυπεὶς ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσαι, Leaf et Ameis-Hentze, sententiam van Herwerdeni[2] secuti, τυπεὶς participium cum φθήῃ coniunctum esse volunt atque infinitivum pro consecutivo habent, ne e φθάνω verbo contra consuetudinem linguæ Græcæ pendere videatur. Sed hoc loco durissimus est infinitivus consecutivus, præsertim cum legamus versum simillimum Λ 433 ἤ κεν ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ τυπεὶς ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσῃς, (cf. etiam M 250. Σ 92), ubi participium necessario ad ὀλέσσῃς est referendum. Neque infinitivus cum φθάνω coniunctus, ut rarissimus est, sic apud bonos scriptores omnino inusitatus videtur. Cf. Thuc. 3, 82, 7, ὁ φθάσας θαρσῆσαι (sic codd. omnes), unde apud Homerum quoque infinitivum ad concursum participiorum vitandum adhibitum esse suspicere.

Alia vero ratione de verbis dubitari potest in quibus propria et translata significationes sæpe sunt ita commixtæ ut lateat natura infinitivi cum iis coniuncti. Quæ cum simillima sint verbis intransitivis iam in capite primo tractatis, eodem fere modo exempla in quibus vis finalis maxime apparet hic proferemus.[3] Sunt autem: cum verbo ὀτρύνω Π 495 sq. = 532 sq. Ψ 111. Ω 302 sq. ξ 261 = ρ 430; ἐάω Ε 684 sq. 847 sq. Θ 125 sq. Ο 472 sq. Τ 8 sq., (omnibus locis vox est ἐάω —κεῖσθαι).[4] καλέω, quod locis quattuor, Γ 250 sqq. 390. Κ 197. Ο 54 sq., infinitivum adsciscit, et compositum προκαλέομαι Γ 432 sq. Η 39 sq. 50 sq., et derivatum προκαλίζομαι Γ 19 sq.

[1] Prellwitz, W., Etymologisches Wörterbuch der gr. Sprache, ed. 2, Göttingen, 1905, p. 181; Meyer, L., Handb. der gr. Etymologie, Leipzig, 1901, vol. III, p. 453.

[2] Hermes, 16, p. 360.

[3] Plura exempla infinitivi cum his verbis coniuncti protulit Albrecht, C., De Accus. cum infin., Curtius Studien, 4, pp. 27 sqq.

[4] Si in hac voce ἐάω 'relinquo' interpretamur, quæ vis ipsi verbo nonnumquam videtur inesse, cf. I 260, constructio finalis est; sed fortasse hæc significatio per brachylogiam ex conformatione ipsa ἐάω — κεῖσθαι manavit.

Δ 389. θ 228, videntur potius inter verba iubendi referenda (cf. κέλομαι et κελεύω). Neque de πεδάω cum infinitivo coniuncto X 5. γ 269. σ 155 sq., aliter iudicandum est, quippe quod iis locis de numine divino dictum per translationem vim habeat cogendi. Atque αἱρέομαι, 'eligo,' in loco B 127 Τρώων δ' ἄνδρα ἕκαστον ἑλοίμεθα οἰνοχοεύειν, multis certe finalem infinitivum adsciscere videtur; verum si quidem notio finis ipsi verbo inhæret, — nam quid sit eligere nisi munus appareat ad quod fungendum eligitur? — infinitivus, qui alterius accusativi est loco, ad explendam sententiam necessarius est. Quam ob causam haud scio an a genere finali hoc exemplum sit secernendum.

Restat ut de duobus infinitivis εἶναι et γενέσθαι cum nomine prædicato coniunctis nonnulla disputemus. Quos ideo separatim tractare oportet, quod et liberius quam ceteri usurpantur et plerumque tam supervacanea videntur ut omissis nomina sola idem valeant.[1] Sed hic infinitivi usus gratam quandam ubertatem optimeque orationi epicæ convenientem efficit; quam ob rem non est mirandum si in carminibus Homericis frequentatur. Iam ut exempla, primum infinitivi εἶναι, deinde γενέσθαι, verbis principalibus subiecta proferamus, εἶναι invenitur coniunctus cum προΐημι K 562 sq. (p. 16); ἐνίημι μ 65 (p. 16); ἵστημι Δ 298 sq. (p. 16); τίθημι et compositis M 260. Φ 405. τ 256 sq.; δίδωμι K 269. Λ 20 (de P 131 vide p. 29); ἔπορον Π 143 sq. = T 390 sq.[2] κ 7; ἐκτέμνω N 391 = Π 484 (de τέμνω v. n. 2); μιαίνω (inficio) Δ 141 sq.; καλύπτω E 315 sq.; τανύω P 547 sqq.; φράσσω ε 256 sq.; ἐάω (relinquo) θ 509;[3] νηέω τ 64;[4] λέγω (colligo) ω 224.

[1] Exempla brevioris constructionis contulit Hentze, Phil., 65, p. 163.

[2] Codd. plerique inter lectiones πόρε et τάμε ita fluctuant ut πόρε Π 143, τάμε T 390 habeant. Edd. plerique utroque loco πόρε scribunt, sed Cauer et Ludwich τάμε.

[3] Vide ne infinitivus sit complementi loco, ut vocatur, cf. p. 17, n. 4.

[4] νήησαν ξύλα πολλά, φόως ἔμεν ἠδὲ θέρεσθαι. Ameis-Hentze ad loc. et Hentze, Phil., 65, p. 162, φόως subiectum ἔμεν infinitivi arbitrantur, unde sententia huiusmodi evenit: 'coacervarunt ligna multa, ut lumen (præsto) esset atque (ipsi) calescerent,' quæ mihi durissima videtur constructio. Melius φόως

Paulo laxius usurpatur constructio X 512 sqq. τάδε πάντα καταφλέξω . . . | οὐδὲν σοί γ' ὄφελος, . . . | ἀλλὰ πρὸς Τρώων καὶ Τρωϊάδων κλέος εἶναι, ubi infinitivus, æque atque ὄφελος substantivum, non magis ad τάδε accusativum quam ad enuntiatum universum referendus est.

Alter infinitivus, γενέσθαι, invenitur coniunctus cum καταλείπω P 151. γ 271; ἐκβάλλω ο 480 sq. (his locis est vox ἕλωρ καὶ κύρμα γενέσθαι vel simpliciter κύρμα γενέσθαι); etiam X 421 sq. ὅς μιν ἔτικτε καὶ ἔτρεφε πῆμα γενέσθαι | Τρωσί.

Præcipue vero laudandus est locus ρ 223 sq. τόν κ' εἴ μοι δοίης σταθμῶν ῥυτῆρα γενέσθαι | σηκοκόρον τ' ἔμεναι θαλλόν τ' ἐρίφοισι φορῆναι, ubi duobus infinitivis γενέσθαι et ἔμεναι tertius adeo, qui nisi illi antecederent vix usurparetur, accedit.

De aliis constructionibus. — Participium futuri apud Homerum multo minus sæpe cum obiecto verbi principalis quam cum subiecto est coniunctum. Quam rem hic commemoratam repetemus cum in extrema parte summam materiæ explicabimus; nunc autem tantummodo exempla enarramus. πέμπω et composita adsciscunt participium Θ 367 sq. α 93 sq. λ 623; προΐημι et composita Σ 58 sq. = 439 sq. π 328 sq.; προϊάλλω Θ 365; ἄγω et composita E 613 sq. η 324. λ 164 sq.; ὀτρύνω Θ 398 = Λ 185. T 156 sq. ο 40 sq.; καλέω ρ 387; denique in loco κ 563 sqq. ἄλλην δ' ἧμιν ὁδὸν τεκμήρατο Κίρκη | εἰς Ἀΐδαο δόμους καὶ ἐπαινῆς Περσεφονείης | ψυχῇ χρησομένους Θηβαίου Τειρεσίαο, ubi vox ὁδὸν τεκμήρατο eandem constructionem quam verbum mittendi adsciscit.[1]

Enuntiatorum finalium eodem discrimine quo in capite superiore usi hæc exempla infinitivo conferemus. πέμπω et comp. (ὄφρα) κ 65. (ὡς) ε 25 sq. ω 360. (ἧος) δ 799 sq.; προΐημι (ὄφρα) ω 333 sq.; ἵημι (ὄφρα) Ψ 177; ἄγω (ὄφρα)

prædicati loco ducas et ξύλα ad utrumque infinitivum ita referas ut sit alterius subiectum, cum altero quasi instrumentum actionis audiendum: '. . . ligna quæ lumen essent et (quibus ipsi) calescerent.' φάος in re dictum est etiam τ 24, τίς . . . φάος οἴσει;

[1] Versum 565 delevit Monro, fortasse quod e v. 492 esset translatus.

Γ 105. ρ 10 sq. (ἵνα) ρ 250. χ 168; ἁρπάζω (ἵνα) ο 250 sq.; καταβάλλω (ὄφρα) ζ 172 sq.; δέω (vincio) et comp. (ὄφρα) Ο 469 sq. μ 161 sq.; ἵζω (ὡς) Ψ 359 sqq.; ἵστημι (ὄφρα) Ω 350. ι 248 sq. σ 307 sq.; ποιέομαι (ἵνα) Ι 494 sq.; ὄρνυμι (ἵνα) ψ 348; ὀτρύνω (ὄφρα) α 85 sq. (ἵνα) σ 53 sq. (ὡς) ρ 362 sq.; καλέω (ὄφρα) Δ 193 sqq. 204 sq. (ἵνα) ρ 529. Tria sunt enuntiata finalia quæ similia sunt constructioni εἶναι infinitivi et pendent ex τέμνω (ἵνα) Φ 38; χέω (ἵνα) δ 584; φέρω (ἵνα) ι 233 sq. Animadvertendum est duas fere partes horum exemplorum esse in Odyssea.

In iis enuntiatis relativis quæ cum infinitivis huius generis comparari possunt pronomen est in nominativo positum et ad accusativum in enuntiato principali relatum. Quorum numerus præ iis quæ in capite superiore tractavimus satis magnus est; sed in his quoque exemplis vim finalem vel consecutivam sententia universa potius quam forma constructionis indicat. Quam ob rem non mirum si enuntiata principalia plerumque voluntatem, multo minus sæpe rem gestam notant.[1] Voluntatis autem notio inest iis locis, in quibus pronomen relativum modum subiunctivum cum κε particula coniunctum adsciscit, velut Ι 165 sq. κλητοὺς ὀτρύνομεν, οἵ κε τάχιστα | ἔλθωσ' ἐς κλισίην . . . Reliqua verba principalia sunt: ἐπιθήσει Δ 190 sq.; φερέμεν (antecedente verbo iubendi) Ω 119 = 147 = 176 = 196; δότε β 212 sq.; ἐφοπλίσαι (antecedente ἐπότρυνον) ζ 36 sq.; ὄπασσον ο 310 sq.; ἀγείρομεν (subiunctivo modo) π 349 sq. Uno tantum loco, Γ 286 sq. = 459 sq. τιμὴν δ' Ἀργείοις ἀποτινέμεν (pro imperativo) ἥν τιν' ἔοικεν, | ἥ τε καὶ ἐσσομένοισι μετ' ἀνθρώποισι πέληται, deest κε particula.[2] Futurum tempus indicativi, ut apud Atticos est usitatissimum in huiusmodi enuntiatis, sic apud Homerum vix invenitur, nisi fortasse huc referas Θ 36 βουλὴν δ' Ἀργείοις ὑποθησόμεθ', ἥ

[1] Cf. quæ de enuntiatis finalibus dicta sunt pp. 13 sq.

[2] Huic loco eos conferas in quibus est vox καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι, cap. IIIa, p. 24.

τις ὀνήσει, et Ω 153 sq. τοῖον γάρ οἱ πομπὸν ὀπάσσομεν Ἀργειφόντην, | ὃς ἄξει . . . (sed cf. locum consimilem Ω 182 sq., ubi est τοῖος γάρ τοι πομπὸς ἅμ' ἕψεται Ἀργειφόντης, | ὅς σ' ἄξει . . ., nec finis notari videtur).

Optativus, cum κε coniunctus, est in enuntiatis quæ ex his vocibus pendent: θήσω Θ 289 sqq.; ἐνθήσω ε 166; ὄρσουσα Φ 335 sq.; ὀρύξομεν Η 341 sq.; φράζωνται Ι 423 sq.; φράζευ π 257; ποιήσεται κ 433 sq. Deest autem κε particula Κ 19 sq. εἴ τινά οἱ σὺν μῆτιν ἀμύμονα τεκτήναιτο, | ἥ τις ἀλεξίκακος πᾶσιν Δαναοῖσι γένοιτο.

Iam duobus omnino locis enuntiato principali voluntas non notatur, ut e secundario significatio finalis colligenda sit: ρ 382 sqq. τίς . . . καλεῖ — ἀοιδόν, ὅ κεν τέρπῃσιν ἀείδων; ο 458 ἄγγελον ἧκαν, ὃς ἀγγείλειε γυναικί, qui locus omnium maxime vim finalem præ se fert.

De constructione mutata. — De duobus pluribusve infinitivis inter se coniunctis non est opus disputato, nisi diversa ratione uterque ab enuntiato principali pendet, ut β 226 sq. (vid. p. 16, n. 6), τ 64 (vid. p. 18, n. 4), ubi subiecta sunt diversa; μ 135 sq. (νύμφας) Θρινακίην ἐς νῆσον ἀπῴκισε τηλόθι ναίειν, | μῆλα φυλασσέμεναι . . ., ubi alter infinitivus pendet a toto versu antecedente. Neque inutile est eos locos adferre in quibus infinitivum finalem vel consecutivum enuntiatum finale sequitur, ut appareat constructionem utramque diverso modo ad verbum principale relatam esse. Namque Π 575 sq. πέμπον ἕπεσθαι | Ἴλιον εἰς εὔπωλον, ἵνα Τρώεσσι μάχοιτο, verbum πέμπον infinitivusque ἕπεσθαι quasi in unam notionem coierunt, cui accedit enuntiatum ἵνα Τρώεσσι μάχοιτο laxiore vinculo adiunctum. Reliqua exempla sunt: Α 442 sqq. Ε 315 sqq. Υ 234 sq. (cf. ο 250 sq.) κ 25 sq. ξ 26 sqq.

CAPUT III

De divisione huius capitis.

In plerisque huius capitis exemplis hæc ratio inter verbum et infinitivum intercedit, ut idem vocabulum sit utriusque obiectum, subiectum autem infinitivi dativus cum verbo coniunctus, velut Ψ 512 *δῶκε δ' ἄγειν ἑτάροισιν ὑπερθύμοισι γυναῖκα.* Sed cum aliis locis dativus aliis accusativus sic positus non inveniatur, necesse est hoc genus in duas partes dividere, quarum una accusativo eodem modo ad infinitivum et ad verbum relato facile definitur, altera exempla constructionis vel per dativum vel etiam per alium casum formatæ continet.

A. *Obiectum verbi principalis est obiectum infinitivi.*

Verbum *δίδωμι* frequentissimum in hac constructione est atque infinitivos verborum agendi, ferendi, habendi præcipue adsciscit: *ἄγειν* (*ἀγέμεν*) et *κατάγειν* (*καταξέμεν*) Α 338. 347. Ε 26. Ζ 53. Η 351. 471. Φ 32. Χ 117. Ψ 512. 612 sq.; *ἐλαύνειν* (*ἐλαυνέμεν*) Ε 165. 325 sqq.; *φέρειν* Π 665. Ρ 130 sq. 193. Ψ 512 sq.; *φέρεσθαι* Λ 798. Ω 581. *α* 317. *ο* 83. *φ* 349; *φορέειν* (*φορῆναι*, *φορήμεναι*) Η 149. Κ 270. Ο 310. 532 sq. *ο* 125 sqq.; *ἔχειν* *β* 336 = *π* 386; *ὀπυιέμεν(αι)* Ν 378 sq. Ξ 268; sed etiam hos alios: *δαιτρεύειν* Λ 704 sq.;[1] *τανύειν* Ρ 390; *καταδημοβορῆσαι* Σ 301; *δάσασθαι* Ψ 21. *σ* 87; *δαπτέμεν* Ψ 183; *ἀμφιβαλέσθαι* *ζ* 178; *ἱρεύσασθαι* *τ* 197 sq.; *ἀμφιπολεύειν* *υ* 78.[2] Reliqua verba quæ huiusmodi infinitivos adsciscunt hæc

[1] *τὰ δ' ἄλλ' ἐς δῆμον ἔδωκε | δαιτρεύειν, μή τίς οἱ ἀτεμβόμενος κίοι ἴσης.* V. 705 omisit Zenodotus, damnavit Aristarchus multique recentiores tamquam ex *ι* 42 conflatum; defenderunt autem Gemoll, Hermes, 18, pp. 62 sq., et Leaf ad loc.

[2] (*κούρας*) *ἔδοσαν στυγερῇσιν Ἐρινύσιν ἀμφιπολεύειν.* Ebelingii Lexicon s. v. *ἀμφιπολεύω*, et Pierron ad loc., *ἀμφιπολεύειν* 'servire' interpretantur atque ad *κούρας* referunt, ut sit constructio generis II. Sed melius est significationem

fere sunt: παρέχω δ 89. ξ 250 sq.; ὀπάζω Ψ 151;[1] τίθημι et comp. Π 223. Ψ 263. Ω 646 = δ 299 = η 338. ε 196 sq. θ 69 sq. ρ 259 sq. (de Α 291 vide n. 2, de Θ 188 sqq. n. 3); βάλλω et comp. Ν 35 sq. ε 331. κ 242 sq.; πέμπω π 83 sq. ω 419; ἁγινέω υ 213 sq.; ἀνατέλλω Ε 777; ἀτιτάλλω ξ 41 sq.; ἑτοιμάζω Τ 197; λείπω et comp. Β 107 sq. ε 343 sq.[4] π 296; μεθίημι Ρ 418 sq.; φράζω θ 68.[5]

Vim insignem habent exempla in quibus dativus minus ad verbum quam ad infinitivum est relatus, ut huic quasi subiectum proprium esse videatur: Ω 35 sqq. τὸν νῦν οὐκ ἔτλητε νέκυν περ ἐόντα σαῶσαι, | ᾗ τ' ἀλόχῳ ἰδέειν καὶ μητέρι κτλ., χ 476

curandi, hoc est, puniendi infinitivo attribuere, ut de Furiis sit dictus. Sic Ameis-Hentze et Monro ad loc. Cf. etiam Hes. Op. 803 sq. φασιν Ἐρινύας ἀμφιπολεύειν | Ὅρκον γεινόμενον.

[1] Πατρόκλῳ ἥρωϊ κόμην ὀπάσαιμι φέρεσθαι. Leaf ad loc., collato Φ 120 ἧκε φέρεσθαι, infinitivum passive dictum arbitratur; sed cum locus valde similis sit exemplis supra laudatis vocis δῶκε . . . φέρεσθαι, vix est dubitandum quin hic infinitivus mediam et transitivam habeat significationem.

[2] τοὔνεκά οἱ προθέουσιν ὀνείδεα μυθήσασθαι; ubi si editores plerosque secuti (v. Ameis-Hentze, Anh. ad loc.) προθέουσιν idem quod προτιθέασιν esse statuimus, infinitivus inter hæc exempla referendus; at obstat verbi forma inusitata nec satis explicata. Sin eam a προθέω, 'procurro,' ducimus, quod nonnulli sunt conati, vertimusque 'convicia ei procurrunt ut (ea) dicat,' infinitivus parti alteri huius generis subiciendus. Sed cum hæc quoque interpretatio sit durissima, fatendum est locum obscuriorem esse quam ut infinitivi syntaxin illustret.

[3] ὑμῖν πὰρ προτέροισι μελίφρονα πυρὸν ἔθηκεν | οἶνόν τ' ἐγκεράσασα, πιεῖν ὅτε θυμὸς ἀνώγοι, | ἢ ἐμοί, κτλ. V. 189 damnavit Aristarchus multique recentiores, ne equi Hectoris vinum bibere viderentur. Si vero retineri potest, infinitivum potius ad πὰρ . . . ἔθηκεν, cf. θ 69 sq., quam ad ἐγκεράσασα referre oportet, quare male post πιεῖν videntur distinxisse Monro et Allen.

[4] σχεδίην ἀνέμοισι φέρεσθαι | κάλλιπ' (ε). De infinitivo utrum mediam an passivam habeat significationem ambigitur; sed collatis quæ paulo antecedunt, ε 330 sq. ὡς τὴν ἂμ πέλαγος ἄνεμοι φέρον ἔνθα καὶ ἔνθα· | ἄλλοτε μέν τε Νότος Βορέῃ προβάλεσκε φέρεσθαι, media est probabilior.

[5] (τῷ — φόρμιγγα . . .) ἐπέφραδε χερσὶν ἑλέσθαι, 'indicavit ei lyram, ut manibus prehenderet'; sic enim locus vertendus, cum apud Homerum φράζω sit 'indico,' non 'dico' vel 'iubeo.' Vide Lehrs, Aristarchus, ed. 3, pp. 84 sqq.

μήδεά τ' ἐξέρυσαν, κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι,[1] ο 125 sqq. *δῶρόν τοι . . . τοῦτο δίδωμι, | . . . σῇ ἀλόχῳ φορέειν* (p. 22).

Sed dativum esse subiectum infinitivi maxime apparet in ea voce quæ est *καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι,* quæ tribus locis cum verbis actionem significantibus coniuncta est: X 305 *ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι κ. ἐ. π.,* γ 204 *οἴσουσι κλέος εὐρὺ κ. ἐ. π.,*[2] λ 75 sq. *σῆμά τέ μοι χεῦαι πολιῆς ἐπὶ θινὶ θαλάσσης, | ἀνδρὸς δυστήνοιο, κ. ἐ. π.*: tribus autem locis, B 119. φ 255. ω 433, cum verbis statum significantibus, vide p. 34. In his quidem exemplis *ἐσσομένοισι* dativus cum infinitivo solo coniungi potest, sed in principiis huius constructionis videtur ad verbum quoque fuisse relatus. Cf. β 217 (*ὄσσαν*) *ἥ τε μάλιστα φέρει κλέος ἀνθρώποισιν,* ubi *πυθέσθαι* infinitivus possit adiungi. Verum ut est apud Homerum, vox certis verbis concepta non multum ab adiectivo differt, ut X 305 vertere possimus 'sed re aliqua magna facta et cuius sit fama perennis.' Animadvertendum est *ἐσσόμενος* participium, exceptis locis A 70. λ 433, in hac sola voce occurrere et in enuntiatis finalibus eiusdem significationis Γ 287 = 460. Z 357 sq. θ 580.

Cum verbis dandi verba accipiendi tractare oportet, quippe quæ eandem actionem ratione diversa notent. Duo sunt exempla: O 190 *ἤτοι ἐγὼν ἔλαχον πολιὴν ἅλα ναιέμεν αἰεί,* λ 584 *στεῦτο δὲ διψάων, πιέειν δ' οὐκ εἶχεν ἑλέσθαι,* 'nec poterat (aquam) capere ut biberet.' Non fugiet lectorem hæc exempla, cum idem sit verbi et infinitivi subiectum, in primo quoque genere tractari potuisse.

Neque hoc genus locis caret ambiguis, in quibus incertum est accusativus ad verbumne sit referendus ut infinitivus effectum remotiorem significet, an ad infinitivum qui artius cum verbo cohæreat. Quæ dubitatio maxime in *δίδωμι* verbo oritur cum

[1] Cf. σ 87 *μήδεά τ' ἐξερύσας δώῃ κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι,* quo e loco hic fortasse per contractionem ortus est.

[2] Sic editores plerique, Eustathium secuti. Codd. *καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδήν,* quam lectionem tutati sunt van Leeuwen et Mendes, collato θ 580 *ἵνα ᾖσι καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδή.*

de numine deorum dictum est; nam quamquam multis locis constat infinitivum ipsum obiecti vice fungi, ut P 646 *δὸς δ' ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι*, aut cum accusativo coniunctum unam vocem efficere ad verbum relatam, ut γ 60 *δὸς δ' ἔτι Τηλέμαχον καὶ ἐμὲ πρήξαντα νέεσθαι*, hæremus in loco qualis est Φ 216 *εἴ τοι Τρῶας ἔδωκε Κρόνου παῖς πάντας ὀλέσσαι*, utrum sit vertendus 'si quidem Saturni filius Troës tibi dedit omnes interimendos,' an '. . . dedit tibi ut Troës omnes interimeres.' Neque enim absolute statui potest quo modo verti oporteat, quod ipsa ambiguitate hæc constructio ex illa est orta. Sed ubi *δίδωμι* de dis regentibus res humanas dictum est, in plerisque certe exemplis manifesto est 'concedo,' 'statuo,' neque in ullo ab hac significatione prorsus abhorret; quare præstat sic in omnibus interpretari infinitivumque accusativi loco cum verbo positum statuere. Quæ autem exempla maxime præ se ferunt finalis constructionis speciem hæc sunt: Π 799 sq. (*πήληκα*) *Ζεὺς Ἕκτορι δῶκεν | ᾗ κεφαλῇ φορέειν*, Χ 403 sq. (*κάρη*) *Ζεὺς δυσμενέεσσι | δῶκεν ἀεικίσσασθαι*.

Eadem fere in alia verba cadunt, namque *λαγχάνω* videtur infinitivum pro accusativo adsciscere Ψ 356. 357. Ω 400. De verbis docendi confer locum ambiguum υ 72 *ἔργα δ' Ἀθηναίη δέδαε* (sc. *κούρας*) *κλυτὰ ἐργάζεσθαι*, cum χ 422 sq. *τὰς μέν τ' ἔργα διδάξαμεν ἐργάζεσθαι, | εἴριά τε ξαίνειν καὶ δουλοσύνην ἀνέχεσθαι*, ubi infinitivi pro accusativo altero qui vocatur positi videntur neque effectum notare. Cf. etiam α 384 sq.

B. *Alia ratio intercedit inter infinitivum et casum obliquum cum verbo principali coniunctum.*

Exempla huius partis varia ac difficilia sunt ad disponendum; sed in principio ea ponimus in quibus accusativus cum verbo coniunctus ad infinitivum aliquo pacto referri potest. Nonnumquam enim id significat quo fit aut in quo fit actio per infinitivum notata, velut, antecedente *δίδωμι*, Β 612 sq. *αὐτὸς*

γάρ σφιν δῶκεν . . . | νῆας ἐϋσσέλμους περάαν ἐπὶ οἴνοπα πόντον,[1] Π 40 δὸς δέ μοι ὤμοιιν τὰ σὰ τεύχεα θωρηχθῆναι, γ 46 sq. δὸς καὶ τούτῳ ἔπειτα δέπας μελιηδέος οἴνου | σπεῖσαι, η 148 sq. τοῖσιν θεοὶ ὄλβια δοῖεν | ζωέμεναι, 'quibus di bonam fortunam duint, in qua vivant,'[2] θ 44 sq. τῷ γάρ ῥα θεὸς πέρι δῶκεν ἀοιδὴν | τέρπειν,[3] ρ 195 sq. δὸς δέ μοι, εἴ ποθί τοι ῥόπαλον τετμημένον ἐστί, | σκηρίπτεσθ'(αι). Similis constructio cum aliis verbis est: χ 139 ὑμῖν τεύχε' ἐνείκω θωρηχθῆναι, α 136 sqq. = δ 52 sqq. = η 172 sqq. = κ 368 sqq. = ο 135 sqq. = ρ 91 sqq. χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα | . . . | νίψασθαι, κ 494 sq. τῷ καὶ τεθνηῶτι νόον πόρε Περσεφόνεια | οἴῳ πεπνῦσθαι (cf. Ω 377 πέπνυσαί τε νόῳ), η 151 ἐμοὶ πομπὴν ὀτρύνετε πατρίδ' ἱκέσθαι.

Alia vero ratione accusativus ad infinitivum relatus est his locis: μ 334 εἴ τίς μοι ὁδὸν φήνειε νέεσθαι, ubi ὁδὸν viam qua fiat reditus significat,[4] ε 258 sq. φάρε' ἔνεικε . . . | ἱστία ποιήσασθαι, ubi ex accusativo genetivus materiam significans audiri potest. ι 93 ἀλλά σφι δόσαν λωτοῖο πάσασθαι, genetivus partitivus accusativi vicem obit et cum verbo et cum infinitivo.[5] Non huc est referendus locus ψ 78 sq. ἐγὼν ἐμέθεν περιδώσομαι αὐτῆς, | αἴ κέν σ' ἐξαπάφω, κτεῖναί μ' οἰκτίστῳ ὀλέθρῳ, quamquam nonnulli (Pierron, Hayman) infinitivum esse consecutivum putant; nam hoc verbum, quod est 'pignus do,' constructionem interrogationis obliquæ adiungere solet, ut Ψ 485 sq.; Aristoph. Ach. 772. 1115. Eq. 790. Nub. 644. Quare melius, ut voluerunt Düntzer et Ameis-Hentze, infinitivum pro imperativo positum ducas, pleniore distinctione post αὐτῆς facta.

[1] Ebelingii Lexicon, s. v. περάω, νῆας pro subiecto infinitivi habet. At significatio non est 'eis concessit ut naves mare transirent,' sed 'eis naves dedit quibus mare transirent.'

[2] ὄλβια potest etiam cum infinitivo coniungi, 'quibus di concedant ut fortunate vivant,' sed illa interpretatio melior, præsertim cum conferas θ 413 = ω 402 θεοὶ δέ τοι ὄλβια δοῖεν.

[3] Codd. aliquot τερπνήν.

[4] Vide Kühner-Gerth, Gramm., § 410, 5.

[5] Genetivus cum solo infinitivo coniungi potest, sed nihil impedit quin a verbo pendeat, cf. ι 225 τυρῶν αἰνυμένους, et Kühner-Gerth, § 416, 1, n. 2.

Quo modo ab his exemplis transeatur ad ea in quibus accusativus non sit ad infinitivum relatus, apparebit si infinitivo generis IIIa alterum laxiore constructione accedere posse intellexerimus. Quod factum est in nonnullis exemplis supra laudatis: P 418 sq. (p. 23) *εἰ τοῦτον Τρώεσσι μεθήσομεν ἱπποδάμοισιν | ἄστυ ποτὶ σφέτερον ἐρύσαι καὶ κῦδος ἀρέσθαι*, B 107 sq. (p. 23) (*σκῆπτρον*) *Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι, | πολλῇσιν νήσοισι καὶ Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσειν*, ξ 250 sq. (p. 23) *ἐγὼν ἱερήϊα πολλὰ παρεῖχον | θεοῖσίν τε ῥέζειν αὐτοῖσί τε δαῖτα πένεσθαι*. Huic loco apte conferas χ 198 sq. *ἡνίκ' ἀγινεῖς | αἶγας μνηστήρεσσι δόμον κάτα δαῖτα πένεσθαι*, ubi infinitivus non ad accusativum sed ad dativum solum referri potest. Simili ratione ex loco qualis est P 509 sq. *ἤτοι μὲν τὸν νεκρὸν ἐπιτράπεθ' οἵ περ ἄριστοι, | ἀμφ' αὐτῷ βεβάμεν καὶ ἀμύνεσθαι στίχας ἀνδρῶν*, fluxit constructio quæ est E 750 sq. = Θ 394 sq. *τῇς ἐπιτέτραπται μέγας οὐρανὸς Οὔλυμπός τε, | ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος ἠδ' ἐπιθεῖναι*. De locis B 643. λ 524 sq., qui specie huic sunt similes, vide n. 1.

Proprius autem locus est his exemplis tribuendus in quibus enuntiatum principale significationem dandæ facultatis habet, ut sibi infinitivum aliquanto artius adiungat: B 451 sq. *ἐν δὲ σθένος ὦρσεν ἑκάστῳ | καρδίῃ ἄλληκτον πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι*, cf. Λ 11 sq. = Ξ 151 sq. *μέγα δὲ σθένος ἔμβαλ' ἑκάστῳ κτλ.*, Λ 192 sq. *τότε οἱ κράτος ἐγγυαλίξω | κτείνειν*, E 260 sq. *αἴ κέν μοι . . . κῦδος ὀρέξῃ | ἀμφοτέρω κτεῖναι*, cf. P 453 sq. *ἔτι γάρ σφισι κῦδος ὀρέξω, | κτείνειν*, ubi infinitivus per epexegesin positus videri potest; sed cf. O 596 sqq., ubi hæc vox enuntiatum finale adsciscit. Huc accedit γ 205 sq. *αἲ γὰρ ἐμοὶ τοσσήνδε θεοὶ δύναμιν περιθεῖεν, | τίσασθαι μνηστῆρας*, quo

[1] Locus B 643 *τῷ δ' ἐπὶ πάντ' ἐτέταλτο ἀνασσέμεν Αἰτωλοῖσι*, alienus hac constructione videtur, sive infinitivum per epexegesin *πάντα* adiectivo in nominativo posito adiunctum sive *πάντ' . . . ἀνασσέμεν Αἰτωλοῖσι*, 'res omnes regere Aetolis,' subiectum esse verbi impersonaliter dicti statuimus. In vv. λ 524 sq. *ἐμοὶ δ' ἐπὶ πάντ' ἐτέταλτο, | ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν λόχον ἠδ' ἐπιθεῖναι*, necesse est ut infinitivus sit epexegeticus, nisi fortasse versus 525, quem omisit Aristarchus, ex E 751 interpolatus est.

loco τοσσήνδε non ad infinitivum sed ad versus antecedentes respicit.

Iam ad voces actionem intransitivam significantes accedamus, quæ magni sunt momenti ad infinitivi constructionem declarandam. Exempla autem haud multa sunt: Ω 716 εἴξατέ μοι οὐρεῦσι διελθέμεν, ε 332 ἄλλοτε δ' αὖτ' Εὖρος Ζεφύρῳ εἴξασκε διώκειν,[1] ν 33 sq. ἀσπασίως δ' ἄρα τῷ κατέδυ φάος ἠελίοιο | δόρπον ἐποίχεσθαι,[2] ο 457 ἀλλ' ὅτε δὴ κοίλη νηῦς ἤχθετο τοῖσι νέεσθαι, 'sed ubi cava navis iis erat onerata ut redirent,' Σ 211 sq. πυρσοί τε φλεγέθουσιν ἐπήτριμοι, ὑψόσε δ' αὐγὴ | γίγνεται ἀΐσσουσα, περικτιόνεσσιν ἰδέσθαι, α 410 sq. οἷον . . . οὐδ' ὑπέμεινε | γνώμεναι, 'nec remansit ut (eum) nosceremus,' ι 143 οὐδὲ προὐφαίνετ' ἰδέσθαι, 'nec lucebat ut videremus,' quod in hac constructione unum est exemplum verbi impersonalis. Forsitan addas I 462 sq. ἔνθ' ἐμοὶ οὐκέτι πάμπαν ἐρητύετ' ἐν φρεσὶ θυμὸς | . . . κατὰ μέγαρα στρωφᾶσθαι, et N 280 οὐδέ οἱ ἀτρέμας ἧσθαι ἐρητύετ' ἐν φρεσὶ θυμός, quamquam enuntiatum principale idem fere quod οὐκ ἔτλη valet. Cf. I 635, ubi hæc vox absolute posita est.

De aliis constructionibus in genere III. — Cum pro infinitivis huius generis participium futuri non substituatur apud Homerum,[3] sola enuntiata adverbialia et relativa sunt tractanda. Quæ in parte priore admodum raro pro infinitivo posita sunt, atque adeo conformatio qualis sit δῶκέ τί τινι ὄφρα (vel ὃ) φέροιτο videtur omnino inusitata. Sed alia verba, quibuscum infinitivus non inveteravit, enuntiata finalia nonnumquam adsciscunt: θ

[1] Non est necesse, σχεδίην accusativo audito, verbum transitive dictum statuere, cf. Meierheim, op. cit., p. 42.

[2] Ameis-Hentze, et Monro in editione Odysseæ XIII–XXIV, Oxf. 1901, ad loc., infinitivo ἀσπασίως adverbium definiri arbitrantur, 'gratum, *quod* cenam curare possit, est ei solem occidere.' Sed fieri non potest quin vocabula coniuncta sint alio modo: 'gratum est ei solem occidere, *ut* cenam curare possit.'

[3] In lingua Latina participium quod gerundivum vocatur in locum infinitivi succedit, vide Draeger, Hist. Syntax der lat. Sprache, ed. 2, vol. II, pp. 822 sqq.

477 sq. *τοῦτο πόρε κρέας, ὄφρα φάγῃσι,* | *Δημοδόκῳ*, Υ 184 sq. *ἦ νύ τί τοι Τρῶες τέμενος τάμον . . . ὄφρα νέμηαι*, quocum loci Z 194 sq. ι 320 sq. conferendi, ξ 414 *ἄξεθ' ὑῶν τὸν ἄριστον, ἵνα ξείνῳ ἱερεύσω*, κ 387 *λῦσον, ἵν' ὀφθαλμοῖσιν ἴδω ἐρίηρας ἑταίρους*, κ 316 *τεῦχε δέ μοι κυκεῶ χρυσέῳ δέπᾳ, ὄφρα πίοιμι*, η 163 sq. *σὺ δὲ κηρύκεσσι κέλευσον* | *οἶνον ἐπικρῆσαι, ἵνα . . . σπείσομεν*, cf. η 179 sqq. Z 258 sqq. Duo tantum enuntiata relativa hic adferre possum: ο 518 *ἀλλά τοι ἄλλον φῶτα πιφαύσκομαι ὅν κεν ἵκοιο*, τ 403 sq. *αὐτὸς νῦν ὄνομ' εὕρεο ὅττι κε θῆαι* | *παιδὸς παιδὶ φίλῳ.*[1]

In altera parte, ubi laxius infinitivus cum enuntiato principali coniunctus est, plura exempla præsto sunt ad comparandum; nam cum loco γ 46 sq. (p. 26) componas δ 591 *δώσω καλὸν ἄλεισον, ἵνα σπένδησθα θεοῖσιν*, et cf. θ 430 sqq. (*ὀπάσσω*), ζ 79 sq. *δῶκεν . . . ἔλαιον,* | *ἧος χυτλώσαιτο.* Alii loci eiusdem conformationis sunt: χ 481 sqq. (*οἶσε*); ν 73 sq. (*στόρεσαν*); ψ 171 sqq. (*στόρεσον*); ε 255 (*ποιήσατο*); Σ 375 sqq. (*θῆκεν*). Nec raro enuntiata finalia cum vocibus quæ 'facultatem dare' significant coniuncta sunt. Cf. O 596 sqq. *Ἕκτορι γάρ οἱ θυμὸς ἐβούλετο κῦδος ὀρέξαι* | — *ἵνα νηυσὶ* — *πῦρ ἐμβάλοι*, et E 2 sq. I 98 sq. Π 524. P 451 sq. Φ 547 sq. γ 76 sq. Mirandum est autem enuntiata relativa vix inveniri præter hæc: ι 356 *ἵνα τοι δῶ ξείνιον ᾧ κε σὺ χαίρῃς*, et fortasse Ξ 240 sq. *ὑπὸ δὲ θρῆνυν ποσὶν ἥσει,* | *τῷ κεν ἐπισχοίης λιπαροὺς πόδας εἰλαπινάζων.*

De constructione mutata. — Iam (p. 27) exempla enarravimus in quibus constructiones generis IIIa et IIIb mixtæ sunt, sed etiam ad infinitivum generis III, mutato subiecto, infinitivus generis II adiungi potest, velut Ξ 267 sq. *ἐγὼ δέ κέ τοι Χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων* | *δώσω ὀπυιέμεναι καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν.* Sed P 130 sq. *δίδου δ' ὅ γε τεύχεα καλὰ* | *Τρωσὶ φέρειν προτὶ ἄστυ, μέγα κλέος ἔμμεναι αὐτῷ*, alter infinitivus ex priore pendet. Infinitivum finalem excipit enuntiatum finale Λ 704 sq. (cf. p. 22, n. 1). π 83 sq. 296 sq. τ 197 sq., enuntiatum expectationem significans (cum *αἴ κε*) Λ 798 sqq. Π 40 sqq. Σ 211 sqq.

[1] V. ll. *θείης, θεῖο.*

CAPUT IV

Infinitivus pendet ex enuntiato statum significante

Infinitivi huius generis vix appellandi sunt finales, quoniam finis in agendo solet esse situs; sed cum id notent quod e statu rerum fieri potest, (quare non male 'potentiales' eos dicas), vim consecutivam habere videntur adeo ut eos sub hanc constructionem subicere liceat. Sed ut appareat inter hos et illos quos supra tractavimus rationem quandam intercedere, hæc exempla prima adferemus: Σ 507 sq. *κεῖτο δ' ἄρ' ἐν μέσσοισι δύω χρυσοῖο τάλαντα,* | *τῷ δόμεν ὃς κτλ.*, ξ 521 sq. (*χλαῖναν*) *ἥ οἱ παρεκέσκετ' ἀμοιβάς,* | *ἕννυσθαι κτλ.*, ubi *κεῖμαι* et statum significat et idem pro perfecto tempore *τίθημι* verbi passive dictum est; quare his exemplis conferas Ψ 263 *θῆκε γυναῖκα ἄγεσθαι* (p. 23), et Ω 646 *χλαίνας τ' ἐνθέμεναι οὔλας καθύπερθεν ἕσασθαι* (p. 23).

Sed in plerisque huiusmodi enuntiatis verbum substantivum aut positum aut audiendum est; ex quibus ea quæ positionem notant proxime a supra laudatis absunt: ξ 513 sq. *οὐ γὰρ πολλαὶ χλαῖναι ἐπημοιβοί τε χιτῶνες* | *ἐνθάδε ἕννυσθαι*, χ 25 *οὐδέ πῃ ἀσπὶς ἔην οὐδ ἄλκιμον ἔγχος ἑλέσθαι*, N 268 (*ἔναρα*) *οὐ σχεδόν ἐστιν ἑλέσθαι*, quæ omnia cum exemplis generis IIIa comparanda sunt; Θ 223 = Λ 6 (*νηΐ*) *ἥ ῥ' ἐν μεσσάτῳ ἔσκε γεγωνέμεν ἀμφοτέρωσε*, Λ 339 sq. *οὐ γάρ οἱ ἵπποι* | *ἐγγὺς ἔσαν προφυγεῖν*, β 283 sq. *οὐδέ τι ἴσασιν θάνατον καὶ κῆρα μέλαιναν,* | *ὃς δή σφι σχεδόν ἐστιν, ἐπ' ἤματι πάντας ὀλέσθαι*, cf. exempla generis IIIb. Præcipue vero animadvertendum est γ 349 sq. *ᾧ οὔ τι χλαῖναι καὶ ῥήγεα πόλλ' ἐνὶ οἴκῳ,* | *οὔτ' αὐτῷ μαλακῶς οὔτε ξείνοισιν ἐνεύδειν*, ubi verbo cum *ἐν* composito indicatur subiectum enuntiati principalis locum significare in quo fiat actio infinitivi.[1] Constructio quæ generis I habet similitudinem est T 140 *δῶρα δ'*

[1] Vide Kühner-Gerth, Gramm., § 473, n. 12.

ἐγὼν ὅδε πάντα παρασχέμεν, 'ecce me, ut dona omnia præbeam,' (ubi *ὅδε* prædicative dictum est), et N 312 *νηυσὶ μὲν ἐν μέσσῃσιν ἀμύνειν εἰσὶ καὶ ἄλλοι.* Quibus forsitan addas τ 314 sqq. *ἐπεὶ οὐ τοῖοι σημάντορές εἰσ' ἐνὶ οἴκῳ | οἷος Ὀδυσσεὺς ἔσκε μετ' ἀνδράσιν, εἴ ποτ' ἔην γε, | ξείνους αἰδοίους ἀποπεμπέμεν ἠδὲ δέχεσθαι*, nisi infinitivi ad *τοῖοι* et *οἷος* adiectiva sunt referendi.

Notionem possessionis ex positionis facillime exsistere apparebit, collatis exemplis in quibus est *πάρα*, 'præsto' (est, sunt): I 227 sq. *πάρα γὰρ μενοεικέα πολλὰ | δαίνυσθ'(αι)*, ε 364 *οὐ μέν τι πάρα προνοῆσαι ἄμεινον*,[1] χ 106 *ἧός μοι ἀμύνεσθαι πάρ' ὀϊστοί.* Sin autem enuntiatum adverbio locum notante caret, possessionem apertius significat. Cf. Z 227 sqq. *πολλοὶ μὲν γὰρ ἐμοὶ Τρῶες . . . κτείνειν — πολλοὶ δ' αὖ σοὶ Ἀχαιοὶ ἐναιρέμεν ὅν κε δύνηαι*, et Υ 246 sq. δ 214 sq. ι 248 sq. ξ 193 sqq. σ 371, quæ exempla habent similitudinem generis IIIa; N 814 *ἄφαρ δέ τε χεῖρες ἀμύνειν εἰσὶ καὶ ἡμῖν*, O 128 sq. α 261 sq. χ 116, quibuscum confer genus IIIb. Locus γ 349 sq. (p. 30) propter dativum huc quoque referri potest.

Restat locus ambiguus H 238 sq. *οἶδ' ἐπὶ δεξιά, οἶδ' ἐπ' ἀριστερὰ νωμῆσαι βῶν | ἀζαλέην, τό μοί ἐστι ταλαύρινον πολεμίζειν*, quem si cum veteribus interpretemur 'scio versare scutum, quod est mihi quo firmiter pugnem,' exemplum sit constructionis consecutivæ. Sed melius est *τό* pronomen ad totum enuntiatum antecedens referre, hoc modo: 'scio versare scutum, id quod (quæ scientia) meo iudicio est firmiter pugnare,' ut infinitivum esse prædicative dictum appareat.[2]

Iam ad exempla venitur in quibus verbum substantivum absolute dictum est. Quæ quam parvo discrimine ab iis differant quæ supra tractavimus, apparebit si cum T 140 *δῶρα δ' ἐγὼν ὅδε πάντα παρασχέμεν* (p. 30), conferetur I 688 *εἰσὶ καὶ οἵδε τάδ' εἰπέμεν, οἵ μοι ἕποντο*, 'sunt hi quoque, comites mei,

[1] Si *πάρα* impersonaliter dictum statuimus, id quod haud raro fit apud poëtas Atticos, constructio accusativi cum infinitivo coniuncti evenit; sed aliud exemplum huius vocis impersonaliter dictæ non est apud Homerum.

[2] Sic Leaf et Ameis-Hentze ad loc.

qui hæc narrare possint.'[1] Sed subiectum verbi plerumque nullam ad certam personam vel rem spectat, ut ξ 496 sq. *ἀλλά τις εἴη | εἰπεῖν Ἀτρεΐδῃ Ἀγαμέμνονι*, præsertim si accedit particula negativa, velut Ω 489 *οὐδέ τίς ἐστιν ἀρὴν καὶ λοιγὸν ἀμῦναι.* Adde Ω 610 sq. β 58 sq. = ρ 537 sq. De ο 374 sq. *ἐκ δ' ἄρα δεσποίνης οὐ μείλιχον ἔστιν* (vel *μείλιχόν ἐστιν*) *ἀκοῦσαι | οὔτ' ἔπος οὔτε τι ἔργον*, dubitari potest, utrum *ἔπος* in nominativo positum sit, ut infinitivus sit consecutivus, an in accusativo, verbo impersonaliter dicto, ut constructio sit accusativi cum infinitivo coniuncti, id quod ex ordine vocabulorum veri est similius.

Atque I 249 sq. *οὐδέ τι μῆχος | ῥεχθέντος κακοῦ ἔστ' ἄκος εὑρεῖν*, ξ 238 sq. *οὐδέ τι μῆχος | ἦεν ἀνήνασθαι*, quos locos si verbum pro verbo reddas, huc referre possis, enuntiatum principale necessario infinitivum adiungit ad sententiam explendam, quare ab hoc genere videntur abiudicandi. Confer constructionem infinitivi cum voce *ἀνάγκη* (*ἐστί*) coniuncti, E 633 sq. Υ 251 sq.

Infinitivum qui est B 291 *ἦ μὴν καὶ πόνος ἐστὶν ἀνιηθέντα νέεσθαι*, multi[2] consecutivum esse statuunt, præsertim cum sententiæ totius loci optime conveniat interpretatio 'profecto labor (tantus) est ut quivis dolens revertatur.' At cum versum a ceteris seiunctum nemo non iudicet hoc significare: 'profecto labor est redire dolentem,' cf. Soph. Antigone 780 *πόνος περισσός ἐστι τὰν Ἅιδου σέβειν*, eidem aliam significationem ex circumiacentibus haustam attribuere haudquaquam licet. Neque similes sunt loci adlati λ 330 sq., ubi *ὥρη εὕδειν* non est 'satis temporis est ad dormiendum,' sed 'tempus est dormire,' et β 284 (p. 30), ubi positio adverbio notatur. Quibus de causis non videtur constructio tam dura huic loco inferenda, etiamsi emendationem facere, qualis est van Leeuwenii *ἀνίῃ τ' ἔνθ' ἀνέχεσθαι*, necesse habeamus.

[1] Male vertit Leaf: 'qui me secuti sunt, hi præsto sunt ad hæc narranda.'
[2] De sententiis variis vide Leaf, et Ameis-Hentze, Anh. ad loc.

His cum exemplis ea coniungi possunt in quibus alia verba statum significantia inveniuntur, velut *λείπομαι*, 'reliquus sum,' γ 354 sq. *παῖδες ἐνὶ μεγάροισι λίπωνται | ξείνους ξεινίζειν*, et *οἶδα*, 'scientia rei inest in mente,' B 213 sq. *ὅς ῥ' ἔπεα φρεσὶν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδη, | μάψ . . . ἐριζέμεναι βασιλεῦσιν*, B 720 *τόξων εὖ εἰδότες ἶφι μάχεσθαι*, quo loco infinitivus haud multum abest quin respectum notet. Ambiguus est locus π 465 sq. *οὐκ ἔμελέν μοι ταῦτα μεταλλῆσαι καὶ ἐρέσθαι | ἄστυ καταβλώσκοντα*, nam *ταῦτα* utrum in nominativo an in accusativo sit positum non liquet; sed cum *μέλει* verbum nullo alio loco apud Homerum impersonaliter dictum sit, nominativus magis placet. Atque Ω 212 sq. *τοῦ ἐγὼ μέσον ἧπαρ ἔχοιμι | ἐσθέμεναι προσφῦσα*, μ 362 *οὐδ' εἶχον μέθυ λεῖψαι ἐπ' αἰθομένοις ἱεροῖσιν*, ubi *ἔχω* verbum 'possum' interpretari solent, collatis σ 364 aliisque locis, propriam tamen servare significationem potest, ut infinitivus sit consecutivus: '. . . habeam iecur quod edim,' 'neque habuerunt vinum quod funderent. . . .' Sed hæc fortasse nimis exquisita nec tantopere infinitivo consecutivo favendum ut aliis constructionibus usitatis omnino præferamus. Forsitan huc addas π 71 sq. *αὐτὸς μὲν νέος εἰμὶ καὶ οὔ πω χερσὶ πέποιθα | ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι*, et φ 132 sq. *ἠὲ νεώτερός εἰμι κτλ.*, cf. Meierheim[1] et Ameis-Hentze ad locc.; sed nihil videtur obstare quominus infinitivus ad *νέος* (*νεώτερος*) pertineat, vocabulis *καὶ οὔ πω χερσὶ πέποιθα* per parenthesin interiectis. Cf. Ω 368 sq. *οὔτ' αὐτὸς νέος ἐσσί, γέρων δέ τοι οὗτος ὀπηδεῖ, | ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι*, ubi necesse est infinitivum ex adiectivo pendere, nisi fortasse v. 369 pro interpolato habetur.

Verba egendi, quæ verbis possidendi sunt similia, eadem ratione nonnumquam infinitivum adsciscunt: Σ 100 *ἐμεῖο δὲ δῆσεν ἀρῆς ἀλκτῆρα γενέσθαι*, A 341 *χρειὼ ἐμεῖο γένηται ἀεικέα λοιγὸν ἀμῦναι*, δ 634 sq. *ἐμὲ δὲ χρεὼ γίγνεται αὐτῆς | Ἤλιδ' ἐς εὐρύχορον διαβήμεναι.* Sed ι 136 sqq. *ἐν δὲ λιμὴν εὔορμος, ἵν' οὐ χρεὼ πείσματός ἐστιν, | οὔτ' εὐνὰς βαλέειν οὔτε πρυμνήσι' ἀνάψαι, | ἀλλ' ἐπικέλσαντας μεῖναι χρόνον*, infinitivi

[1] Op. cit., p. 65.

ad explicandum enuntiatum principale usurpantur neque effectum notant. Locus in primis dignus qui animadvertatur est Z 462 sq. *σοὶ δ' αὖ νέον ἔσσεται ἄλγος | χήτεϊ τοιοῦδ' ἀνδρὸς ἀμύνειν δούλιον ἦμαρ*, 'quod carebis ad servitutem defendendam viro tali (qualis ego sum),' ubi infinitivus pendet a *χήτεϊ* substantivo idem fere quod *χατιζούσῃ* participium valente.[1]

Una reliqua est forma enuntiati principalis, qua in forma est quidem nomen prædicatum, infinitivus autem non ex eo sed ex toto enuntiato pendet. Huiusmodi sunt Δ 262 sq. *σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ | ἕστηχ', ὥς περ ἐμοί, πιέειν ὅτε θυμὸς ἀνώγοι*, ζ 86 sq. *πολὺ δ' ὕδωρ | καλὸν ὑπεκπρορέει μάλα περ ῥυπόωντα καθῆραι*, ubi *πολὺ* prædicative dictum est. Sed locis plerisque, ut fert rei natura, est *εἰμί* verbum. Huc in primis referas tria exempla vocis quæ est *καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι*,[2] B 119 *αἰσχρὸν γὰρ τόδε γ' ἐστὶ κ. ἐ. π.*, φ 255 *ἐλεγχείη δὲ* (sc. *ἐστί*) *κ. ἐ. π.*, ω 433 *λώβη γὰρ τάδε γ' ἐστὶ κ. ἐ. π.* Adde etiam Δ 510 sq. *ἐπεὶ οὔ σφι λίθος χρὼς οὐδὲ σίδηρος | χαλκὸν ἀνασχέσθαι . . . βαλλομένοισιν*, I 408 sq. *ἀνδρὸς δὲ ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν οὔτε λεϊστὴ | οὔθ' ἑλετή*, N 512 sq. *οὐ γὰρ ἔτ' ἔμπεδα γυῖα ποδῶν ἦν ὁρμηθέντι, | οὔτ' ἄρ' ἐπαΐξαι . . . οὔτ' ἀλέασθαι*, Ψ 618 sq. *τῆ νῦν, καὶ σοὶ τοῦτο, γέρον, κειμήλιον ἔστω, | Πατρόκλοιο τάφου μνῆμ' ἔμμεναι*, ρ 265 (*δώματα*) *ῥεῖα δ' ἀρίγνωτ' ἐστὶ καὶ ἐν πολλοῖσιν ἰδέσθαι.* Uno loco est *γίγνομαι* verbum, ι 456 sq. *εἰ δὴ ὁμοφρονέοις ποτιφωνήεις τε γένοιο | εἰπεῖν κτλ.*

His autem exemplis demonstrari potest quæ ratio huiusmodi infinitivis cum iis qui respectum notant intercedat. Nam ut in enuntiato quale est η 309 sq. *οὔ μοι τοιοῦτον ἐνὶ στήθεσσι φίλον κῆρ | μαψιδίως κεχολῶσθαι*, 'non mihi in pectore cor tale est ut temere sim iratus,' notio effectus inest, sic infinitivus cum *τοιοῦτον* adiectivo artius est coniunctus, ut ad vim eius definien-

[1] Potest etiam infinitivus ad *τοιοῦδε* referri, 'quod carebis viro tanta virtute (quanta ego sum) in servitute defendenda,' vel potius '. . . viro eiusmodi ut servitutem defendat'; sed hæc nimis involuta videntur. Cf. Monro ad loc., in editione quinta Iliadis, vol. I, Oxf., 1899.

[2] Vide p. 24.

dam usurpari videatur. Sed cum necessarius sit ad explendam sententiam, ab hoc genere seiungendus est. Quæ ratio magis etiam patefiet in enuntiatis comparativis, velut Ω 662 sq. τηλόθι δ' ὕλη | ἀξέμεν ἐξ ὄρεος, ubi si infinitivus plane consecutivus esset, significatio eveniret: 'longe absunt ligna, ut e monte feramus'; sed re vera est illi contraria: 'longius absunt ligna, quam ut e monte feramus.' Hinc apparet infinitivum hoc loco ab τηλόθι adverbio maxime pendere. Sed infinitivos tractare qui singula vocabula circumscribunt non est huius operis.

De aliis constructionibus. — Enuntiata finalia cum his infinitivis, utpote qui plerique sint consecutivi, vix possunt comparari; nam A 523 ἐμοὶ δέ κε ταῦτα μελήσεται ὄφρα τελέσσω, ὄφρα coniunctio videtur tempus notare, cf. A 82, ac locis λ 223 sq. ταῦτα δὲ πάντα | ἴσθ', ἵνα καὶ μετόπισθε τεῇ εἴπῃσθα γυναικί, χ 471 sq. ἀμφὶ δὲ πάσαις | δειρῇσι βρόχοι ἦσαν, ὅπως οἴκτιστα θάνοιεν, infinitivus adhiberi nequeat.[1] Enuntiata autem relativa sæpe pro infinitivo posita sunt, in quibus optativus solet esse modus, adiuncta κε particula. Exampla sunt hæc: antecedente voce πάρειμι (πάρα) E 192 = Ξ 299. δ 559 sq. = ε 16 sq. = ε 141 sq. = ρ 145 sq.; σχεδόν ἐστι O 737 sq.; ἔνι ι 126 sqq.; εἰμί coniuncto cum dativo, δ 166 sq.; absolute posito, O 735 sq. His locis omnibus antecedit negatio vel interrogatio quæ est negantis. Alia verba enuntiatum relativum adsciscunt his locis: α 253 sq. πολλὸν ἀποιχομένου Ὀδυσῆος | δεύῃ, ὅ κε μνηστῆρσιν ἀναιδέσι χεῖρας ἐφείη, β 30 sq. ἠέ τιν' ἀγγελίην στρατοῦ ἔκλυεν ἐρχομένοιο, | ἥν χ' ἡμῖν σάφα εἴποι. Optativus κε particula carens est B 687. Ξ 107. P 640, ubi antecedit εἰμί absolute positum. Subiunctivus cum κε coniunctus duobus tantum est locis, β 42 sq. οὔτε τιν' ἀγγελίην στρατοῦ ἔκλυον ἐρχομένοιο, | ἥν χ' ὑμῖν σάφα εἴπω,[2] (cf. β 30 sq. supra), et δ 756 sq. ἀλλ' ἔτι πού τις

[1] De B 232, vide p. 36.

[2] Locum suspectum defendit Delbrück, Synt. Forsch., I, p. 41, quod subiunctivo declaretur facilitas eius qui loquitur. Sed nonnulli, velut van Leeuwen et Mendes, ex coniectura Nauckii optativum reponere volunt, quo fiat usitatior modorum consecutio.

ἐπέσσεται ὅς κεν ἔχῃσι | δώματα κτλ. Futurum tempus indicativi cum *κε* coniunctum est A 174 sq. *πάρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι | οἵ κέ με τιμήσουσι,* K 43 sqq. *χρεὼ βουλῆς ἐμὲ καὶ σέ . . . ἥ τίς κεν ἐρύσσεται ἠδὲ σαώσει κτλ.* Mixtæ constructiones sunt B 229 sq. *ἦ ἔτι καὶ χρυσοῦ ἐπιδεύεαι, ὅν κέ τις οἴσει | — ἠὲ γυναῖκα νέην, ἵνα μίσγεαι ἐν φιλότητι, | ἥν τ' αὐτὸς ἀπόνοσφι κατίσχεαι;* sed enuntiatum *ὅν κέ τις οἴσει* omnino non est consecutivum et quæ sequuntur fortasse pendent ex *ἐπιδεύεαι* tamquam verbo volendi, quod suadet accusativus casus *γυναῖκα* v. 232.

CAPUT V

De syntaxi generali infinitivi finalis vel consecutivi

Cum iam quomodo infinitivi finales vel consecutivi cum enuntiato principali coniuncti sint exposuerimus, in hoc capite quæ ad eorum syntaxin universe pertinent, velut genera et tempora, breviter tractabimus.[1]

De infinitivi generibus. — Hoc unum est animadvertendum, passivum quod passivam habeat significationem esse rarissimum; nam qui infinitivi forma sunt passivi generis, re non multum a medio differunt, velut *φέρεσθαι* (sæpe), *ταρπήμεναι* Ω 3, *θωρηχθῆναι* Π 40. χ 139. Cf. etiam infinitivos qui sunt Ε 854. Ι 463. Λ 147. Ξ 209. δ 36. κ 495. ξ 411. Nec vero *κεκλῆσθαι*, quod est Ξ 267 sq. *ἐγὼ δέ κέ τοι Χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων* | *δώσω ὀπυιέμεναι καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν*, aliud est nisi *εἶναι* gravius dictum, cf. Γ 138. Δ 60 sq. Σ 365 sq. Significatio autem passiva his locis apparet: Ν 602 sq. *τὸν δ' ἄγε μοῖρα κακὴ θανάτοιο τέλοσδε,* | *σοί, Μενέλαε, δαμῆναι* . . . (sed fortasse infinitivus per epexegesin positus est); Ω 15 *Ἕκτορα δ' ἕλκεσθαι δησάσκετο δίφρου ὄπισθεν*, quo loco si infinitivus active dictus esset, dura fuisset constructio generis primi. (De *ἕλκεσθαι* infinitivo medii generis non est cogitandum). Solet autem passivum vitari, constructione generis IIIa pro generis II posita, velut Ψ 183 *δώσω Πριαμίδην πυρὶ δαπτέμεν*, pro eo

[1] Ut appareat quibus in exemplis nitatur hæc disputatio, adnotandum est et ambigua prætermitti, quæ pp. 10 sq., 17 sq., 24 sq. tractata sunt, et quæ singula variis de causis ab hac constructione secrevimus. Vide P 489 sq. (p. 11); ι 486 = 542 (p. 16); Π 861 (p. 17); Α 291 (p. 23, n. 2); Θ 188 sqq. (p. 23, n. 3); ψ 78 sq. (p. 26); Β 643. λ 524 sq. (p. 27, n. 1); Η 238 sq. (p. 31); ο 374 sq. Ι 249 sq. ξ 238 sq. Β 291 (p. 32); Ω 212 sq. μ 362. π 71 sq. φ 132 sq. ι 136 sqq. (p. 33).

quod sit δώσω . . . δάπτεσθαι, neque aliter res se habet in genere IV.[1]

Nec mirum si passiva significatio huic constructioni minus convenit; nam siquidem infinitivus initio fuit nomen actionis neque habuit ullum generis discrimen,[2] coniciendum est passivum in recentioribus constructionibus, ne ambiguitas exsisteret, adhiberi cœptum, eoque minus in simplici atque aperta esse usitatum. Sed fatendum est nonnumquam in exemplis nostris ambiguitatem quandam tolerari, velut *α* 410 sq. οὐδ' ὑπέμεινε γνώμεναι, qui locus aut 'neque exspectavit dum nosceret' aut 'neque exspectavit dum nosceretur,' quæ vera est significatio, verti potest.

De infinitivi temporibus. — Tempora horum infinitivorum non declarant actio infinitivi utrum ante enuntiati principalis an postea an eodem tempore fiat; sed hoc tantum, per spatiumne, ut in præsenti, an puncto temporis, ut in aoristo, fiat, an denique sit perfecta. Quorum trium temporum præsens et aoristum maxime usurpantur, perfectum autem, ut rei natura fert, multo minus sæpe. Cuius exempla sunt: ἑστάμεναι Σ 374. χ 121; παρεστάμεναι Ο 255; βεβάμεν Ρ 510; κεκλῆσθαι Ξ 268; πεπνῦσθαι κ 495; ac fortasse γεγωνέμεν Θ 223 = Λ 6.[3] Temporis futuri, cui proprius in oratione obliqua locus est, non sunt exempla; nam καταξέμεν Ζ 53, et οἰσέμεναι θ 399 = σ 291. μ 10, sunt aoristi mixti quod vocatur. Nec locus Ο 544 sq. τὼ μὲν ἐεισάσθην χαλκήρεα τεύχε' ἀπ' ὤμων | συλήσειν, ubi Ameis-Hentze infinitivo sensum finalem tribuunt, huc est referendus, cum ἐεισάσθην verbum a ϝίεμαι ductum ac significatione properandi præditum optime possit infinitivum adiungere ad sententiam explendam. Similis usus temporis futuri est in infinitivis qui cum verbis μέμονα Μ 197 sq. aliisque locis, ἐφορμάομαι φ 399 coniuncti sunt.[4]

[1] Cf. θαῦμα ἰδέσθαι aliosque infinitivos cum adiectivis coniunctos.

[2] Brugmann, Gr. Gramm., ed. 3, § 570.

[3] Vide van Leeuwen, Ench., § 260, qui hanc formam ad aoristum refert.

[4] Vide Hentze, C., Idg. Forsch. 22, p. 289.

De nominibus prædicatis cum infinitivo coniunctis. — E vocibus quæ ab infinitivo pendent sola nomina prædicata digna sunt memoratu. Quod enim vocabulum est quasi subiectum infinitivi, eius casum sequi solent, ut nominativus ad nominativum relatus sit, H 75. λ 493 (gen. I), Ψ 618 sq. (gen. IV); accusativus ad accusativum, ut sæpe fit in genere II; ac dativus ad dativum, κ 494 sq. (gen. IIIb), Δ 510 sq. γ 349 sq. ι 248 sq. (gen. IV). Sed nomine prædicato arte cum infinitivo coniuncto, accusativus pro dativo esse potest, velut β 284. ξ 195. π 465 sq., aut pro genitivo, Σ 100 *ἐμεῖο δὲ δῆσεν ἀρῆς ἀλκτῆρα γενέσθαι.* Quæ res cum in aliis constructionibus infinitivi[1] tum in hac quoque documento est accusativum cum infinitivo coniunctum iam apud Homerum increbruisse adeo ut in alienis conformationibus nonnumquam exsisteret.

De ordine verborum. — Infinitivus finalis vel consecutivus cum vocabulis quæ ab eo pendent enuntiatum principale ex ipsa natura sequi solet, sed ita ut in fuso sermone epico membrum quod sit laxius ad hoc relatum post illum sæpe collocatum sit, velut Υ 234 sq. *τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διὶ οἰνοχοεύειν, | κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη.* Cum autem ordo verborum in carminibus epicis sit magna ex parte in re metrica et rhythmica situs, omissa quæstione universa, ea exempla potissimum adferam quæ ab ordine solito discedere videntur.

Nam si qui infinitivus cum verbo principali unam notionem efficit, proximum ei locum tenere solet; quare nonnumquam fit ut vocabula cum enuntiato principali necessario coniuncta infinitivum sequantur et quæ ad infinitivum relata sint verbo antecedant. Cuius ordinis exempla satis multa sunt in certis conformationibus *βῆ δ' ἰέναι* similibusque generis I, et *πέμπε νέεσθαι* generis II, cf. Φ 598. δ 8 sq. φ 374 sq. ψ 23 sq. Sed in aliis vocibus usitatis infinitivus, cum vim propriam servet, sæpe tamen proxime verbum collocatus est, velut *πέμπον ἕπεσθαι* Π 575, cf. *πέμπωμεν ἱκανέμεν* δ 29; *δῶκε δ' ἄγειν* Ψ

[1] Vide Monro, Hom. Gramm., § 240.

512; δῶκε φέρειν Π 665. Ρ 193; et cf. πέμπον ἄγειν ω 419. Singularis est ordo Η 471 δῶκεν Ἰησονίδης ἀγέμεν μέθυ (sc. ναύταις), ubi infinitivus subiectum verbi ab obiecto dividit.

Iam fieri potest ut vocabulum ab infinitivo pendens et quod pronomen esse solet, in enuntiatum principale traiectum sit, velut Π 454 πέμπειν μιν Θάνατόν τε φέρειν καὶ νήδυμον Ὕπνον,[1] ψ 51 σὲ δέ με προέηκε καλέσσαι, 'me misit te vocatum,' Τ 140 δῶρα δ' ἐγὼν ὅδε πάντα παρασχέμεν.

Pauca etiam sunt exempla infinitivi ante verbum collocati, quorum pars magna est generis IV, ut Ν 814 χεῖρες ἀμύνειν εἰσὶ καὶ ἡμῖν, cf. Ν 312. Ο 128 sq. χ 106. 116. Hic enim infinitivus tanto pluris est ponderis quam verbum ut priorem locum occupare liceat; atque eadem ex ratione explicandus est ordo insignis Ι 408 sq. ἀνδρὸς δὲ ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν οὔτε λεϊστὴ | οὔθ' ἑλετή. Cf. Ν 514 sq. τῷ ῥα καὶ ἐν σταδίῃ μὲν ἀμύνετο νηλεὲς ἦμαρ, | τρέσσαι δ' οὐκέτι ῥίμφα πόδες φέρον ἐκ πολέμοιο, et λ 584 στεῦτο δὲ διψάων, πιέειν δ' οὐκ εἶχεν ἑλέσθαι, ubi oppositionis causa infinitivus ad initium enuntiati traiectus est. In reliquis exemplis, e quibus quinque, Ι 520. Κ 562 sq. Ω 15. θ 399 = σ 291. ο 480 sq., sunt generis II, unum, ε 343 sq., generis IIIa, causa ordinis minus aperta est; sed fortasse inde conici potest infinitivum iam artius cum enuntiato principali coniungi cœptum, ut ex additamento quodam sententiæ pars necessaria fieret.

[1] Cf. p. 15, n. 3.

CAPUT VI

Quæ de huius constructionis usu homerico concludi possunt

Quamquam constructio infinitivi finalis vel consecutivi non semper ab aliis plane discerni potest, nonnihil proderit ad summam rei tractandam exempla cuiusque generis, ut in re sane lubrica potest, enumerare.[1]

Hæc igitur verba[2] infinitivos[3] his locis adsciscunt:

Verba	Infinitivos	Iliad.	Odyss.	Locis
in genere I				
βαίνω	+ ἰέναι	32	41	73
"	+ alios	9	3	12
μαστίζω	+ ἐλάαν	3	4	7
alia	+ varios	22	7	29
		66	55	121
in genere II				
πέμπω	+ νέεσθαι	3	4	7
"	+ alios	7	3	10
προΐημι	+ varios	11	17	28
ἵημι	+ "	7	3	10
alia	+ εἶναι	13	6	19
"	+ γενέσθαι	2	3	5
"	+ varios	15	13	28
		58	49	107
in genere IIIa				
δίδωμι	+ ἄγειν et comp.	10	0	10
"	+ infinitivos ferendi	9	4	13
"	+ alios	9	6	15
alia	+ varios	12	20	32
		40	30	70

[1] De locis prætermissis, vide p. 37, n. 1.

[2] Verba composita, excepto προΐημι, sub simplicia subiecta sunt.

[3] Loci in quibus duo aut plures sunt infinitivi ad naturam primi in genera dispertiti sunt.

Verba	Infinitivos	Iliad.	Odyss.	Locis
in genere IIIb				
δίδωμι	+ varios	2	5	7
ἐπιχεύω	+ νίψασθαι	0	6	6
alia	+ varios	13	12	25
		15	23	38
in genere IV				
εἰμί	+ varios	19	19	38
alia	+ "	7	6	13
		26	25	51
Summa locorum		205	182	387

His ex numeris, præsertim si enuntiata finalia cum adverbiis coniuncta, quorum summa est 459,[1] comparabuntur, hanc constructionem satis frequentem apud Homerum esse apparebit non modo in Iliade sed etiam in Odyssea recentiore carmine. Sed tamen exemplis diligentius excussis, dici potest in certo genere enuntiatorum proprium ei esse locum; namque in tribus primis eorum quæ definivimus enuntiatum principale solet habere vim 'terminativam,' (siquidem vocabulo a recentioribus ficto uti licet), quæ maxime in verbis qualia sunt *πέμπω*, *ἵημι*, *δίδωμι* eminet. Neque enim casu factum est ut cum his tribus verbis, quæ facillime notionem effectus recipiunt, plurima essent constructionis exempla. Reliquis autem verbis, quæ vim habent circumscriptiorem, infinitivus eiusmodi coniunctus esse solet ut aut ipse talis sit qualis omnibus fere congruat, velut *ἰέναι*, *νέεσθαι*, *φέρεσθαι*, aut, ut ita dicam, imaginem enuntiati cuiusque reddat, paulum immutata notione, velut Λ 568 *τρωπάσκετο φεύγειν*, Μ 377 *σὺν δ' ἐβάλοντο μάχεσθαι*, *α* 136 sqq. *χέρνιβα— ἐπέχευε—νίψασθαι*, *θ* 529 (*γυναῖκα*) *εἴρερον εἰσανάγουσι*, *πόνον τ' ἐχέμεν καὶ ὀϊζύν*.

Hoc igitur dici potest, infinitivum non quemvis effectum sed eum qui natura vel etiam necessario fiat significare solere.[2] Nec

[1] Weber, Absichtssätze, Pars I, p. 32. Enuntiata in quibus *μή* particula vice coniunctionis fungi dicitur non sunt adnumerata.

[2] Vide quæ in hanc sententiam disputat Stahl, Kritisch-historische Syntax des gr. Verbums, p. 611.

tamen desunt apud Homerum exempla usus laxioris, in quibus longe alia notio infinitivo atque enuntiato principali inest. Hæc maxime in iis generibus invenias ubi infinitivus aut cum enuntiato principali non est per accusativum ad utrumque relatum coniunctus (I, IIIb) aut proprium ac discretum habet subiectum (IIIa, IIIb). E genere I adferantur exempli causa Θ 253 sqq. N 514 sq. (p. 9), I 322. Π 74 sq. X 474 (p. 11); ex II, ubi non sunt multa, Σ 470 sqq. *φῦσαι . . . ἐφύσων,* | *παντοίην εὔπρηστον ἀϋτμὴν ἐξανιεῖσαι,* | *ἄλλοτε μὲν σπεύδοντι παρέμμεναι, ἄλλοτε δ' αὖτε,* X 512 sqq. (p. 19); ex IIIa, Ω 35 sqq. *χ* 476 (pp. 23 sq.), atque exempla vocis *καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι* (p. 24); ex IIIb, exempla laxæ constructionis p. 27 laudata ac Σ 211 sq. *α* 410 sq. *ν* 33 sq. *ο* 457 (p. 28). Qui loci, quamquam certo discrimine a ceteris seiungi nequeunt, argumento sunt iam in sermone epico infinitivum ad enuntiati secundarii similitudinem accedere cœpisse, quæ apud scriptores inferioris ætatis, adscita *ὥστε* coniunctione, elaborata invenitur.

Sed apud Homerum duo tantum sunt exempla *ὥστε* ita usurpatæ: I 42 *εἰ δέ τοι αὐτῷ θυμὸς ἐπέσσυται ὥς τε νέεσθαι,* *ρ* 20 sq. *οὐ γὰρ ἐπὶ σταθμοῖσι μένειν ἔτι τηλίκος εἰμί,* | *ὥς τ' ἐπιτειλαμένῳ σημάντορι πάντα πιθέσθαι,* neque quisquam in priore quidem loco, si *ὥστε* deesset, infinitivum esse consecutivum iudicaret.

Melius esse duximus exempla generis IV separatim tractare, quod propriam quandam habent conformationem; nam quamquam constructio laxa sæpius invenitur, velut Θ 223. *β* 283 sq. (p. 30), B 213 sq. 720. (p. 33), ac locis p. 34 excussis, in maiore parte exemplorum enuntiato principali significatur aliquid aut esse aliquo loco aut esse alicui aut esse simpliciter, infinitivo autem id quod per eum statum fieri potest. Ergo cum illo declaretur actio quibus ex rebus fiat, hoc qualis ipsa sit, infinitivus est pars sententiæ gravissima. Quæ res apparet in exemplis quale est Ω 610 sq. *οἱ μὲν ἄρ' ἐννῆμαρ κέατ' ἐν φόνῳ, οὐδέ τις ἦεν* | *κατθάψαι,* 'neque quisquam erat qui eos sepeliret,'

quod, sententia potius spectata, hoc valet: 'nec potuerunt sepeliri, quod nemo erat qui faceret.' Cum autem in eiusmodi locis enuntiatum infinitivo carere non possit, forsitan videantur constructioni consecutivæ abiudicandi; sed quominus alio referantur hæc res aliquanto est impedimento, quod constructio qualis est N 814 *χεῖρες ἀμύνειν εἰσὶ καὶ ἡμῖν*, aliisque locis, apud scriptores inferioris ætatis non multum vigebat,[1] quippe cuius in locum successisset infinitivus qui subiecti instar e verbo impersonali aut voce idem valente pendet.

Iam si quæritur quare usus infinitivi finalis vel consecutivi apud Homerum non ultra processerit, duæ causæ præcipue sunt adferendæ; una, quod aliæ constructiones infinitivi iam adoleverant, altera, quod nec forma casualis nec particula auxiliaris ei comitabantur quibus notio finis vel consecutionis plane indicaretur. Si enim conformatio qualis est *ἔφην τοῦτο πυθέσθαι* solebat significare: 'dixi me hoc exquisisse,' molestum fuisset si potuisset significare: 'hoc dixi ut exquirerem. . . .' Qua ex re factum est ut infinitivi huiusmodi nisi in conformationibus usitatis ac simplicibus facile usurpari non possent. Quod aliarum linguarum consuetudine illustratur; nam si Vedicam spectamus, in qua infinitivus vim casualem haud obscure servat, huius constructionis usum videmus esse multo laxiorem. Cf. Rigveda 10, 116, 1 *píbā sómam mahatá indriyā́ya, píbā vr̥trā́ya hántave,* 'bibe somam ad magnum robur, bibe ad Vr̥tram occidendum.' Rigveda 8, 15, 3 *éko vr̥trā́ṇi jighnase índra jaítrā śravasyā̀ ca yántave,* 'solus hostes occidis, Indra, ad conferendam victoriam gloriamque.'[2]

Particulis autem auxiliaribus, quæ in linguis recentioribus infinitivo sæpissime coniunguntur, multumque ad usum finalem vel consecutivum adferunt, sermo Homericus omnino fere caret;

[1] Hic modus dicendi eo minus difficilis nobis quidem videtur, quod multum usurpatur in lingua Anglica; nam N 814 verti potest: '*We have hands to defend ourselves with.*'

[2] Plura exempla profert Delbrück, Altindische Syntax, pp. 410 sqq., Kuhns Zeitschr., 18, pp. 94 sqq.

nam ex iis quæ postea frequentabantur, ὥστε, ut ante dictum est, duobus tantum est locis, neque articulus nec μή vice coniunctionis fungens[1] usquam infinitivo comitantur. Sed Homerus quod deerat alio modo facile explebat, indicata consecutione per enuntiatum principale adiunctum, velut A 5 multisque aliis locis.

Restat etiam ut quæramus num in iis conformationibus quibus infinitivus videtur maxime convenire, aliæ constructiones eum loco movere cœperint. Quibus percensis vix potest adfirmari aut enuntiata relativa in generibus II et IV aut finalia cum adverbiis coniuncta in I, II, III infinitivi usum imminuisse, præsertim cum in IIIa sit omnium longe frequentissimus. Sed de participio futuri, quod est in generibus I et II, aliter res se habet. Nemo enim non animadvertit infinitivum multo minus sæpe cum βαίνω (excepto βῆ δ' ἰέναι), ἔρχομαι, εἶμι in genere I quam cum πέμπω, προΐημι in II esse coniunctum. Cuius rei, si ad naturam eorum verborum tantummodo spectamus, nulla exsistit causa; sin autem intellegimus participium futuri in illo genere frequens, in hoc rarum esse, non est difficilis inventu. Nam si quidem id participium principio desiderium seu voluntatem notavit,[2] desiderium autem solet esse eius qui actionem verbo significatam facit, satis est causæ cur participium apud Homerum plerumque ad subiectum pertineat.[3] Quare conicere licet in genere I infinitivum iam a participio esse superatum sed in II locum etiam obtinuisse, quod illius usus nondum increbruisset.

[1] Vide Brugmann, Gr. Gramm., ed. 3, § 577, 4.
[2] Vide Delbrück, Grundriss, IV, pp. 250 sq.
[3] Vide Hentze, Phil., 65, pp. 164 sqq.

PARS ALTERA: DE INFINITIVI CONSTRUCTIONE APUD CETEROS POETAS PRISCOS

Caput I: Hesiodus

In recensendis exemplis Hesiodeis[1] eandem quam in Homericis sequemur dispositionem.

Exempla generis I. — Sc. 358 *συνοισόμεθα πτολεμίζειν* (cf. M 377. Π 565). Sc. 176 *τοὶ δ' ἔτι μᾶλλον ἐγειρέσθην κοτέοντε μάχεσθαι.*[2] Th. 432 sq. *ἔνθα* (sc. *πολέμῳ*) *θεὰ παραγίγνεται, οἷς κ' ἐθέλῃσι, | νίκην προφρονέως ὀπάσαι καὶ κῦδος ὀρέξαι.* Hoc loco Rzachius, omissa distinctione in fine versus 432, cum editoribus plerisque faciens infinitivos ex *ἐθέλῃσι* pendere indicat, quæ est Steinacheri quoque sententia.[3] At *οἷς κ' ἐθέλῃσι* in fine versus positum insequentibus vix coniungi potest, præsertim si conferas vv. 429. 430. 439, ubi non est dubium quin *ἐθέλω* in enuntiatis eiusdem generis absolute dictum sit.

Constructio laxior est Op. 456 sq. *ἑκατὸν δέ τε δούρατ' ἀμάξης, | τῶν πρόσθεν μελέτην ἐχέμεν οἰκήϊα θέσθαι*, ubi ex *τῶν* genetivo *τά* cum *θέσθαι* audiendum est, cf. Ω 2 sq. Plura autem exempla non sunt; nam Th. 609 sq. *τῷ δέ τ' ἀπ' αἰῶνος κακὸν ἐσθλῷ ἀντιφερίζει | ἔμμεναι* (sic codd.), etiamsi mendosum non esset, alienum videretur, cum infinitivus penderet e verbo certandi, cf. Π 765 sq. ο 321 sq. σ 38 sq. Sed multo melior est sensus reposito *ἐμμενές*, quod coniecit Wopkensius, acceperunt

[1] Carmina Hesiodea laudata sunt ex editione maiore Rzachii, Hesiodi Carmina, Lips., 1902. (Th. = Theogonia; Op. = Opera et Dies; Sc. = Scutum). De hac quæstione disputaverunt Steinacher, J., Die Syntax des Hesiodeischen Infinitivs, etc., Landskron, 1885, pp. 14 sqq.; Seip, O., De participii et infinitivi apud Hesiodum usu, Diss. Gissæ, 1886, pp. 54–70.

[2] Infinitivus e verbo pendet, non ex participio, ut videtur existimare Rzach, qui post *ἐγειρέσθην* distinguit, et Seip, op. cit., p. 59. Similis est sententia Th. 666 *μάχην δ' ἀμέγαρτον ἔγειραν*, et cf. Th. 713. Op. 20.

[3] Op. cit., p. 25.

in editionibus Flachius, Schoemannius, Rzachius. Locus qui est in fragmentis Catalogi nuper repertis,[1] *γένος μερόπων ἀνθρώπων | πολλὸν ἀϊστῶσαι σπεῦδε, πρόφασιν μὲν ὀλέσθαι | ψυχὰς ἡμιθέων* . . . , constructionis consecutivæ videtur insigne exemplum ; sed vocabula *σπεῦδε πρόφασιν* propter scripturam incertam aliter legi possunt.

Verba qualia sunt *ὄρνυμαι* similiaque apud Hesiodum non adsciscunt infinitivos qui finales esse videantur ; nam in omnibus exemplis, velut Sc. 40. 196, infinitivum explere sententiam iudicandum est.

Exempla generis II.—Th. 784 *Ἶριν ἔπεμψε θεῶν μέγαν ὅρκον ἐνεῖκαι.* Th. 181 sq. (*μήδεα*) *πάλιν δ' ἔρριψε φέρεσθαι | ἐξοπίσω.* Cum nomine prædicato coniunctus est infinitivus Th. 498 sqq. *τὸν* (sc. *λίθον*) *μὲν Ζεὺς στήριξε—σῆμ' ἔμεν ἐξοπίσω,* Fragm. 116, 2 *καί οἱ τοῦτ' ὀνόμην' ὄνομ' ἔμμεναι,* 'et ei hoc (nomen Ileæ) indidit quod (ei) nomen esset,' Th. 409 sq. *ἥν ποτε Πέρσης | ἠγάγετ' ἐς μέγα δῶμα φίλην κεκλῆσθαι ἄκοιτιν* (cf. Ξ 268).

Exempla generis IIIa.—Th. 819 *δῶκε δὲ Κυμοπόλειαν ὀπυίειν.*[2] Th. 905 sq. *αἵ τε διδοῦσι | θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε,* cui consimilis est locus interpolatus Th. 218 sq. *αἵ τε βροτοῖσι | γεινομένοισι διδοῦσιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε.* Quos, si *ἀγαθόν* cum *ἔχειν* coniungas, sic interpretari possis : 'quæ mortalibus (hoc) dant, ut habeant bonumque malumque' ; sed præstat constructio finalis : '. . . dant bonaque malaque habenda.' Cf. θ 63 *τὸν πέρι Μοῦσ' ἐφίλησε, δίδου δ' ἀγαθόν τε κακόν τε.*

Th. 30 sq. *καί μοι σκῆπτρον ἔδον δάφνης ἐριθηλέος ὄζον | δρέψασθαι θηητόν* (sic codices melioris classis Ω), editores recentiores *δρέψασαι* lectionem codicum classis Ψ reponunt, quæ aptiorem efficit sententiam.

[1] Berliner Klassikertexte, V, 1 (Epische und elegische Fragmente bearbeitet von W. Schubart und U. von Wilamowitz-Moellendorf), Berlin, 1907, p. 34, vv. 60 sqq.

[2] Locum totum seclusit Rzach.

Cum aliis verbis ac *δίδωμι* infinitivus est coniunctus Th. 303 *ἔνθ' ἄρα οἱ δάσσαντο θεοὶ κλυτὰ δώματα ναίειν*, Th. 479 sq. *τὸν μέν οἱ ἐδέξατο Γαῖα πελώρη | . . . τραφέμεν ἀτιταλλέμεναι τε* (cf. O 190).

Exempla generis IIIb. — Op. 526 *οὐδέ οἱ ἠέλιος δείκνυ νομὸν ὁρμηθῆναι.* Sc. 328 sq. *Ζεὺς κράτος ὔμμι διδοῖ . . . | Κύκνον τ' ἐξεναρεῖν καὶ ἀπὸ κλυτὰ τεύχεα δῦσαι* (cf. Λ 192 sq.). Sc. 352 sq. *κελεύθου | εἶκε παρὲξ ἰέναι* (sc. *νῶϊν*), 'decede via, ut prætereamus,' (cf. Ω 716).

Exempla generis IV. — Op. 376 sq. *μουνογενὴς δὲ πάϊς εἴη πατρώϊον οἶκον | φερβέμεν.*[1] Sed Sc. 166 *στίγματα δ' ὣς ἐπέφαντο ἰδεῖν δεινοῖσι δράκουσιν*, quem locum ad constructionem consecutivam refert Steinacherius,[2] infinitivus ad definiendum inservit; nam sic verti potest: 'apparebant in diris draconibus tamquam maculæ aspectu.' Similem constructionem invenias Th. 700 sq., et cf. Seipium, op. cit., p. 63.

De syntaxi generali horum infinitivorum nihil fere est quod adnotem. Infinitivus cuius significatio sit re vera passiva non invenitur; nam *φέρεσθαι* Th. 181 et *ὁρμηθῆναι* Op. 526 intransitive dicti, neque *κεκλῆσθαι* Th. 410, quod unum est perfecti temporis exemplum, multum ab *εἶναι* differt. Nomina prædicata aut ad nominativum, Sc. 176, aut ad accusativum, Th. 409 sq. 498 sqq. Fragm. 116, 2, relata sunt. In enuntiatum principale non est inclusus infinitivus, excepto Th. 905 sq. locoque consimili Th. 218 sq., ubi verbo antecedit.

Summa horum infinitivorum est circiter XVIII,[3] quo e numero X sunt in Theogonia, III in Operibus, IV in Scuto, I in Fragmentis. Sic autem in genera dispertiti sunt: primi sunt IV, alterius V, tertii VIII, quarti I.

[1] Multi codices pro *εἴη* habent *σώζοι* (*σώζει*), quod receperunt Schoemann et alii, v. 377 reiecto.

[2] Op. cit., p. 15.

[3] Hæc exempla ambigua vel dubia prætermissa sunt: Th. 609 sq. (p. 46); exemplum in fragmentis nuper repertis (p. 47 et n. 1); Th. 30 sq. (p. 47); Sc. 166 (p. 48).

De aliis constructionibus.—Participium futuri pro infinitivo generis I est Sc. 91 *ᾤχετο, τιμήσων ἀλιτήμενον Εὐρυσθῆα*,[1] Berliner Klassikertexte V, 1, p. 33, vv. 45 sq. *ὁρμηθῆναι | ποινὴν τεισομένους*. Op. 459 sq. *ἐφορμηθῆναι ὁμῶς δμῶές τε καὶ αὐτὸς | αὔην καὶ διερὴν ἀρόων*, et sententia requirit participium futuri neque obstat forma; nam quamquam non est aliud exemplum huius verbi in futuro positi apud scriptores qui fuerunt ante Alexandrum, nec vero exstat ullum futurum asigmaticum a verbis in *όω* desinentibus ductum, tamen formæ futuri quales sunt apud Homerum *ἐλόω, καλέω, τελέω*, satis sunt exemplo, cf. Kühner-Blass, Gramm. § 228. Monro, Hom. Gramm., § 63.

Enuntiata finalia cum *ὄφρα, ἵνα, ὡς* adverbiis coniuncta, quorum numerus est apud Hesiodum XXVIII,[2] cum infinitivo vix comparari possunt. Proxime autem accedunt hæc: Op. 606 sq. *χόρτον δ' ἐσκομίσαι καὶ συρφετόν, ὄφρα τοι εἴη | βουσὶ καὶ ἡμιόνοισιν ἐπηετανόν*, cf. gen. II; Th. 31 sq. *ἐνέπνευσαν δέ μ' ἀοιδὴν | θέσπιν, ἵνα κλείοιμι κτλ.*, cf. gen. IIIb. Enuntiatorum relativorum laudandum est solum Op. 57 sq. *τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακόν, ᾧ κεν ἅπαντες τέρπωνται*, cf. gen. IIIb.

Quantum e numero exiguo exemplorum concludere licet, constructio infinitivi finalis vel consecutivi eadem fere est apud Hesiodum quæ apud Homerum. Deest certe formula *βῆ δ' ἴμεν* et quæ ei similes sunt; sed alia quædam verba vocesque apud Hesiodum primum adsciscunt infinitivum, qualia sunt *συμφέρομαι, ἐγείρομαι* (sed vide p. 46, n. 2), *παραγίγνομαι* (sed vide p. 46), *μελέτην ἔχω, ῥίπτω, στηρίζω, ὀνομαίνω, δατέομαι, δέχομαι, δείκνυμι*. Quorum autem pleraque verbis Homericis similia significantibus respondent.

Hoc vero unum in usu Hesiodeo memorabile est, constructionem *ὥστε* adverbii cum infinitivo coniuncti eo processisse ut enuntiatum proprium fieret. Nam cum Th. 831 *φθέγγονθ' ὥς*

[1] Locus a Paleyio in editione sua suspectus, quod participium motum non significaret; qua de re disseruit etiam Journ. Phil., 8, pp. 79 sqq. Wecklein *λατρεύσων* coniecit, Rhein. Mus., 41, p. 302.

[2] Weber, Absichtssätze, I, pp. 65–67.

τε θεοῖσι συνιέμεν,[1] subiecto in dativo posito, constructio non multum absit ab exemplis Homericis sine ὥστε conformatis, velut καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι (cf. etiam Σ 211 sq.), altero loco, Op. 43 sq. ῥηϊδίως γάρ κεν καὶ ἐπ' ἤματι ἐργάσσαιο, | ὥς τέ σε κεὶς ἐνιαυτὸν ἔχειν καὶ ἀεργὸν ἐόντα, constructio accusativi cum infinitivo coniuncti ad effectum notandum ὥστε particulam requirit. Sed ubi ea ex adverbio coniunctio facta est, enuntiatum consecutivum iam tale est constitutum quale postea frequentabatur.

Caput II: Hymni Homerici.[2]

Exempla generis I. — Aphr. 220 βῆ δ' ἴμεν, et Dem. 302. 484. Ap. 514 (336) βάν ῥ' ἴμεν. Ap. 108 βῆ ῥα θέειν. Dem. 389 ἆλτο θέειν. Ap. 448 (270) ἆλτο πέτεσθαι.[3] Dem. 15 sq. ὠρέξατο χερσὶν ἅμ' ἄμφω | καλὸν ἄθυρμα λαβεῖν (cf. Π 834). Dem. 282 sq. οὐδέ τι παιδὸς | μνήσατο . . . ἀνελέσθαι (cf. Ω 2 sq.) Ap. 137 sq. ὅτι μιν (sc. Δῆλον) θεὸς εἵλετο οἰκία θέσθαι | νήσων ἠπείρου τε,[4] quem locum non sine iure ad genus IIIb quoque referas.

Ut de locis dubiis pauca dicamus, in hymno ad Selenen (XXXII) 1 Μήνην ἀείδειν τανυσίπτερον ἔσπετε Μοῦσαι, infinitivus nullam habet constructionem ac fortasse ex adiectivo ad Μήνην relato, velut εὐειδῆ,[5] per mendum ortus est. Interpretatio Sikesii et Allenii, qui ἔσπετε ab ἕπομαι ductum volunt, 'canere pergite,' longius repetita est. Herm. 166 sq. αὐτὰρ ἐγὼ τέχνης ἐπιβήσομαι, ἥ τις ἀρίστη, | βουλεύων ἐμὲ καὶ σὲ

[1] In hoc loco interpretando alii alia temptaverunt, vide Goettling-Flach ad loc., et Steinacher, op. cit., pp. 16 sq.

[2] Hymni laudati sunt ex editione quam curaverunt Sikes et Allen, London, 1904. Quattuor hymni maiores singulis compendiis Dem., Ap., Herm., Aphr. designantur, minores autem et nominibus et numeris eius editionis.

[3] ὦρτο, quod coniecit Windisch, in textum recepit Gemoll; sed nihil emendatione opus est.

[4] Vv. 136–138, qui in solis codicibus classis 'y' inveniuntur, ad aliam textus formam et ipsam antiquam videntur pertinere. Vide Sikes et Allen ad loc. et in Introd., p. xxv.

[5] Sic Gemoll, Botheium secutus.

διαμπερές (sic codd.), *βουκολέων* participium, a Ludwichio et ab Sikesio et Allenio repositum, Gemollii coniecturæ *βουκολέειν* anteferendum est. Dem. 407 sqq. *εὖτέ μοι Ἑρμῆς ἦλθ' ἐριούνιος ἄγγελος ὠκὺς* | — | *ἐλθεῖν ἐξ Ἐρέβευς*, infinitivus pendet ex *ἦλθ' ἄγγελος*, quod idem est atque *ἤγγειλεν* (cf. Λ 714 sq. Σ 166 sq.), neque opus est Hermanni coniectura a Baumeisterio recepta *ἀξέμεν*.

Exempla generis II. — Ap. 102 sq. *Ἶριν προὔπεμψαν . . . ἀξέμεν Εἰλείθυιαν.* Aphr. 137 sq. *πέμψαι δ' ἄγγελον . . . εἰπεῖν.* Dem. 441 sq. *ταῖς δὲ μετ' ἄγγελον ἧκε . . .* | *Ῥείην ἠΰκομον Δημήτερα κυανόπεπλον* | *ἀξέμεναι.* Ap. 80 sq. *τεύξειν περικαλλέα νηὸν* | *ἔμμεναι ἀνθρώπων χρηστήριον*, = 287 sq. (109 sq.) (sed *ἀνθρώποις*) = 258 sq. (80 sq.) (sed *τεῦξαι . . . ἀνθρώποις*). Ap. 298 sq. (120 sq.) *ἀμφὶ δὲ νηὸν ἔνασσαν . . . ἀοίδιμον ἔμμεναι αἰεί.* Dem. 79 *ὅς μιν ἔδωκ' Ἀΐδῃ θαλερὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν.*

Pauci sunt infinitivi ambigua constructione: Dem. 321 sq. *καλέει σε πατὴρ . . . ἐλθέμεναι*, cf. 460 sq., Dem. 314 sq. *Ἶριν . . . ὦρσε καλέσσαι* | *Δήμητρ' ἠΰκομον*, Dem. 202 sqq. *χλεύῃς μιν . . . ἐτρέψατο πότνιαν ἁγνήν,* | *μειδῆσαι γελάσαι τε καὶ ἵλαον σχεῖν θυμόν.* Sed hi infinitivi potius ad explendam sententiam videntur inservire.

Exempla generis IIIa. — Dem. 208 sq. *ἄνωγε δ' ἄρ' ἄλφι καὶ ὕδωρ* | *δοῦναι μίξασαν πιέμεν γλήχωνι τερείνῃ.* Dem. 372 *ῥοιῆς κόκκον ἔδωκε φαγεῖν κτλ.* Aphr. 212 *τούς οἱ δῶρον ἔδωκεν ἔχειν.* Locis autem ambiguis, hymno minore ad Aphr. (VI) 19 sq. *δὸς δ' ἐν ἀγῶνι* | *νίκην τῷδε φέρεσθαι*, et Dem. 135 sqq. *ἀλλ' ὑμῖν μὲν πάντες Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες* | *δοῖεν κουριδίους ἄνδρας καὶ τέκνα τεκέσθαι*, infinitivos pro obiecto verbi usurpatos nec finales esse iudicandum est, cf. Η 203 *δὸς νίκην Αἴαντι καὶ ἀγλαὸν εὖχος ἀρέσθαι.*

Herm. 497 *Ἑρμῇ δ' ἐγγυάλιξεν ἔχων μάστιγα φαεινήν*, nonnulli[1] *ἔχειν* infinitivum reponunt, quæ coniectura, ut speciem

[1] Baumeister, Gemoll, Ludwich.

veri habet, sic est facilior quam ut mendi causam declaret. Dem. 226 sq. *παῖδα δέ τοι πρόφρων ὑποδέξομαι, ὥς με κελευεις· | θρέψω, κοῦ μιν ἔολπα κτλ.*, memorandæ sunt coniecturæ doctorum, velut *θρέψαι* Hermanni et Gemollii, *θρέψασθ'(αι)* Vossii et Baumeisteri, in quibus infinitivus non solum cum *κελεύεις* sed etiam cum *ὑποδέξομαι* coniungi potest, cf. Hes. Th. 479 sq. Sed nihil causæ est cur a codicum auctoritate hoc loco discedamus.

Exempla generum IIIb et IV.—Certa exempla horum generum non sunt inventa. Hymno ad Pana (XIX) 33 sq. *θάλε γὰρ πόθος ὑγρὸς ἐπελθὼν | νύμφῃ . . . φιλότητι μιγῆναι,*[1] et Aphr. 45 sq. *τῇ . . . Ζεὺς γλυκὺν ἵμερον ἔμβαλε θυμῷ, | ἀνδρὶ καταθνητῷ μιχθήμεναι*, infinitivi a vocibus cupiendi pendentes voluntatem potius quam effectum notant. Hymno ad Poseidona (XXII) 4 sq. *διχθά τοι, Ἐννοσίγαιε, θεοὶ τιμὴν ἐδάσαντο, | ἵππων τε δμητῆρ' ἔμεναι, σωτῆρά τε νηῶν*, et Herm. 516 sq. *τιμὴν γὰρ πὰρ Ζηνὸς ἔχεις, ἐπαμοίβιμα ἔργα | θήσειν ἀνθρώποισι,*[2] infinitivi notionem *τιμὴν* vocis explicant. Infinitivi ad *ἁνδάνω* relati, Ap. 75 sq. *ὁ δ' ἄλλην γαῖαν ἀφίξεται, ᾗ κεν ἅδῃ οἱ | τεύξασθαι νηόν τε καὶ ἄλσεα δενδρήεντα,*[3] 220 sq. (42 sq.) *τό τοι οὐχ ἅδε θυμῷ | τεύξασθαι κτλ.*, 244 sq. (66 sq.) *τόθι τοι ἅδε χῶρος ἀπήμων | τεύξασθαι κτλ.*, respectum notant.

Locus autem corruptus Aphr. 252 sq. *νῦν δὲ δὴ οὐκέτι μοι στοναχήσεται ἐξονομῆναι | τοῦτο μετ' ἀθανάτοισιν* (sic codices omnes), ubi constat *στοναχήσεται* mendosum esse, coniectura nondum est restitutus ut infinitivi syntaxin illustret; nam *στόμα χείσεται*, quæ præcipua est emendatio,[4] linguæ consuetudine atque exemplis non satis confirmatur. Qui adlati sunt

[1] Ad *θάλε* verbum multæ sunt coniecturæ (vide Sikes et Allen, adn. crit. ad loc.), quarum optima videtur *λάθε* Ruhnkenii.

[2] Infinitivus temporis futuri hoc loco dignus est memoratu, sed fortasse ex notione pollicendi, quæ inest enuntiato principali, pendet.

[3] Post *οἱ* distinctionem faciunt Sikes et Allen, quasi vero infinitivus ad *ἀφίξεται* pertineat; sed ceteris locis collatis perperam factam apparet.

[4] Hanc emendationem a Martinio prolatam probavit Tyrrell, Hermathena, IX, p. 33, receperunt Sikes et Allen.

loci, Λ 462 *ἤϋσεν ὅσον κεφαλὴ χάδε φωτός*, Ar. Ran. 258 sqq. *κεκραξόμεσθά γ' ὁπόσον ἡ φάρυγξ ἂν ἡμῶν χανδάνῃ*, vix cum illo comparari possunt; nam *ὅσον* et *ὁπόσον* non quid vox efficere queat sed quantum vocis emittatur significant. Nec magis placet *στόμ' ἀχήσεται*, quod coniecit Buttmannus,[1] propter duram infinitivi constructionem.

Inter locos dubios ultimus adferatur Herm. 11 sq. *τῇ δ' ἤδη δέκατος μεὶς οὐρανῷ ἐστήρικτο, | εἴς τε φόως ἄγαγεν, ἀρίσημά τε ἔργα τέτυκτο*, propter Stollii coniecturam[2] satis sollertem *ἀγαγεῖν . . . τετύχθαι*, quam autem, etsi sententiam aliquantum expedit, recipere non est necesse.

De syntaxi generali infinitivi.—Unus est infinitivus temporis perfecti et formæ passivæ, *κεκλῆσθαι* Dem. 79, cf. Ξ 268 et Hes. Th. 410. Nomina prædicata ad accusativum relata sunt Ap. 80 sq. = 258 sq. (80 sq.) = 287 sq. (109 sq.), Ap. 298 sq. (120 sq.), Dem. 79. Infinitivus inter vocabula enuntiati principalis sed post verbum interiectus est non modo in formula *βῆ δ' (βάν ῥ') ἴμεν*, sed etiam Ap. 137 sq. (p. 50), Dem. 208 sq. 372 (p. 51).

Summa infinitivorum finalium vel consecutivorum, omissis locis ambiguis corruptisve,[3] est XXI, quo e numero IX sunt in Dem., IX in Ap.,[4] III in Aphr. Generis autem primi sunt X, alterius VIII, tertii (a) III.

De aliis constructionibus. — Participium futuri pro infinitivo generis I est sexies: Aphr. 220 (cum voce *βῆ δ' ἴμεν* coniunctum); Herm. 178 (*εἶμι*); hymno ad Artemin (XXVII) 13 sqq. (*ἔρχεται*); Dem. 287 sq. (*ἔσσυτο*); Ap. 249 sqq. (71 sqq.) (*ἁγινήσουσι*), quo loco verbum est transitivum; Dem. 53 *καί*

[1] Lexil. II, § 84, 4.

[2] Neue Jahrb., 79, p. 319.

[3] Hi sunt Sel. (XXXII) 1. Herm. 166 sq. (p. 50); Dem. 407 sqq. 202 sqq. 314 sq. 321 sq. 460 sq. Aphr. (VI) 19 sq. Dem. 135 sqq. Herm. 497 (p. 51); quique pp. 52–53 tractati sunt.

[4] Ex his IV in parte Deliaca, V in Pythica inveniuntur.

ῥά οἱ ἀγγελέουσα ἔπος φέτο φώνησέν τε, ubi significationem eundi non habet.[1]

Ex enuntiatis finalibus cum ὄφρα, ἵνα, ὡς coniunctis, quæ in Hymnis sunt numero XVII,[2] tria sola videntur cum infinitivo comparari posse: Dem. 106 sq. ἐρχόμεναι μεθ' ὕδωρ εὐήρυτον, ὄφρα φέροιεν κτλ., Dem. 335 sqq. πέμψε χρυσόρραπιν 'Αργειφόντην, | ὄφρ'(α) — Περσεφόνειαν — ἐξαγάγοι, Aphr. 202 sqq. Γανυμήδεα μητιέτα Ζεὺς | ἥρπασεν ὃν διὰ κάλλος, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη, | καί τε . . . ἐπιοινοχοεύοι, cf. Υ 234 sq.

Unum est enuntiatum relativum in quo finis tempore futuro notetur, Ap. 388 sqq. (210 sqq.) κατὰ θυμὸν ἐφράζετο Φοῖβος 'Απόλλων | οὕς τινας ἀνθρώπους ὀργιόνας εἰσαγάγοιτο, | οἳ θεραπεύσονται κτλ.

Cum infinitivo ὥστε particula est coniuncta Ap. 529 sq. (351 sq.) οὔτε τρυγηφόρος ἥδε γ' ἐπήρατος οὔτ' εὐλείμων, | ὥς τ' ἀπό τ' εὖ ζώειν καὶ ἅμ' ἀνθρώποισιν ὀπηδεῖν, ubi subiectum infinitivorum audiendum est.

Apparet igitur Hymnos Homericos in huius constructionis usu minus etiam quam carmina Hesiodea ab Iliade Odysseaque dissentire. Novæ quidem sunt conformationes infinitivi coniuncti cum verbis ἄλλομαι, ναίω (ædifico), μιμνήσκομαι, αἱρέομαι (cum infinitivo gen. I vel IIIb); sed omnes in formam constructionis Homericæ facile redigi possunt.

Caput III: Reliqui Poetæ Prisci

A. *Poetæ Epici*[3] *et Batrachomyomachia*[4]

Exempla huius capitis tam pauca sunt ut potius ad ordinem scriptorum quam ad genera constructionis spectemus.

[1] Participium præsentis voluit Gemoll, Ruhnkenium secutus, sed cf. Τ 120, ἀγγελέουσα Δία Κρονίωνα προσηύδα.

[2] Weber, Absichtssätze, I, pp. 67 sq.

[3] Ed. Kinkel, Epicorum Græcorum Fragmenta, Lips., 1877.

[4] Ed. Monro, Homeri Opera et Reliquiæ, Oxon., 1896. Vide etiam editionem Ludwichii, Die Homerische Batrachomachia, Leipzig, 1896.

Eumelus 2, 6 Αἰήτης δ' ἄρ' ἑκὼν Βούνῳ παρέδωκε φυλάσσειν, (sc. χώρην), gen. IIIa.

Æthiopis (Iliu Persis, Monro) 3, 5 sq. τῷ δ' ἄρ' ἀκριβέα πάντ' εἰνὶ στήθεσσιν ἔθηκεν | ἄσκοπά τε γνῶναι καὶ ἀναλθέα ἰήσασθαι, gen. IIIb, nisi fortasse infinitivi ad πάντα per epexegesin relati sunt.

Carmen Naupactium 7 δὴ τότ' ἄρ' Αἰήτῃ πόθον ἔμβαλε δῖ' Ἀφροδίτη | Εὐρυλύτης φιλότητι μιγήμεναι, infinitivus voluntatem ac non effectum videtur notare, cf. hymnum ad Aphroditen 45 sq. (p. 52).

Batrachomyomachia 139 sq. μύες ὔμμιν ἀπειλήσαντες ἔπεμψαν (sc. ἐμέ) εἰπεῖν ὁπλίζεσθαι, gen. II. Reliqui loci sunt dubii: 59–61 ἀμφίβιον γὰρ ἔδωκε νομὴν βατράχοισι Κρονίων, | σκιρτῆσαι κατὰ γαῖαν, ἐν ὕδασι σῶμα καλύψαι,[1] infinitivi non videntur esse generis IIIb sed epexegetici; et 30 sq., ubi est prope in omnibus codicibus γείνατο . . . με καὶ ἐξεθρέψατο βρωτοῖς, | σύκοις κτλ., quod e lectione codicis optimi Z, ἔρριψε νέμεσθαι, Ludwichius eruit, καὶ ἔκρυψ' ἐννεμέθεσθαι, vix probatur.

De aliis constructionibus. — Participium futuri est Batr. 174 βοηθήσουσα πορεύσῃ.[2] Sed Batr. 136 sqq. κῆρυξ ἐγγύθεν ἦλθε — ἀγγέλλων πολέμοιο κακὴν φάτιν, ubi Ludwichius ex Brandtii coniectura ἀγγελέων scribit, participium præsentis, collatis ν 94. π 459, defendi potest. Comparandum est etiam enuntiatum finale cum ὅπως coniunctum, Batr. 249 ἥλατο δ' ἐς τάφρον, ὅπως φύγῃ αἰπὺν ὄλεθρον, et relativum, Batr. 275 sq. Παλλάδα πέμψωμεν πολεμόκλονον, ἢ καὶ Ἄρηα, | οἵ μιν ἐπισχήσουσι μάχης κτλ.

Epigrammata Homerica

Ne quæ pars 'corporis Homerici' in hac disputatione prætermittatur, Epigrammata (ed. Monro, Homeri Opera et Reliquiae, Oxon., 1896) hic excutiemus. Quorum fructus est profecto

[1] V. 60 στοιχείοις διττοῖς μεμερισμένα δώματα ναίειν, in optimis codicibus omissum secluserunt Monro et Ludwich.

[2] ἐπαλεξήσουσα cum aliquot codicibus Ludwich.

exiguus; nam unum certum est exemplum, 4, 1 οἵῃ μ' αἴσῃ δῶκε πατὴρ Ζεὺς κύρμα γενέσθαι, gen. II, cf. P 151. γ 271. ο 480 sq. Alio loco, 14, 2 sqq.

δεῦρ' ἄγ' Ἀθηναίη, καὶ ὑπείρεχε χεῖρα καμίνου,
εὖ δὲ πεπανθεῖεν κότυλοι καὶ πάντα κάναστρα,
φρυχθῆναί τε καλῶς καὶ τιμῆς ὦνον ἀρέσθαι,
πολλὰ μὲν εἰν ἀγορῇ πωλεύμενα, πολλὰ δ' ἀγυιαῖς,
πολλὰ δὲ κερδῆναι, ἡμῖν δὲ δή, ὥς σφιν ἀεῖσαι,

exemplum insigne constructionis laxæ in versu 4 esse apparet, (nam de versu 6 misere corrupto non liquet); sed forsitan infinitivi ex πεπανθεῖεν non pendeant positique sint in precatione pro optativo.

B. *Poetae Elegiaci et Iambici*[1]

Mimnermus 4 Τιθωνῷ μὲν ἔδωκεν ἔχειν κακὸν ἄφθιτον < ὁ Ζεὺς > | γῆρας, gen. IIIa, nisi quidem infinitivus accusativi loco est.

Solon 12 (13), 22 (ἄνεμος) αἰθρίην δ' αὖτις ἔθηκεν ἰδεῖν, gen. IIIa. 12 (13), 24 ἀτὰρ νεφέων οὐδὲν ἔτ' ἐστὶν ἰδεῖν, gen. IV. Sed 12 (13), 3 sq. ὄλβον μοι πρὸς θεῶν μακάρων δότε καὶ πρὸς ἁπάντων | ἀνθρώπων αἰεὶ δόξαν ἔχειν ἀγαθήν, infinitivus videtur pro obiecto esse usurpatus.

Phocylides 13 (15) ἀλλ' ἄρα δαίμονές εἰσιν ἐπ' ἀνδράσιν ἄλλοτε ἄλλοι, | οἱ μὲν ἐπερχομένου κακοῦ ἀνέρας ἐκλύσασθαι, in fragmento manifesto non absoluto, constructionem generis IV, quæ quidem singulari sit conformatione, vix licet indagare.

Theognis 41 sq. = 1082ab ἀστοὶ μὲν γὰρ ἔθ' οἵδε (altero loco ἔασι) σαόφρονες, ἡγεμόνες δὲ | τετράφαται πολλὴν ἐς κακότητα πεσεῖν, 'sed duces conversi sunt ut in malitiam multam incidant,' gen. I. 467 μηδένα τῶνδ' ἀέκοντα μένειν κατέρυκε παρ' ἡμῖν, gen. II. 561 sq. εἴη μοι τὰ μὲν αὐτὸν ἔχειν, τὰ δὲ πόλλ' ἐπιδοῦναι |

[1] Numeri sunt Anthologiæ Lyricæ (Hiller-Crusius), Lips., 1904, quibus adiecti sunt numeri discrepantes Bergkiani, Poetæ Lyrici Græci, ed. 4, vol. 2, Lips., 1882.

χρήματα τῶν ἐχθρῶν τοῖσι φίλοισιν ἔχειν, gen. IIIa. δίδωμι cum ἔχειν infinitivo coniunctum est etiam 445 sq. = 1162ef. 1057 sq. 1386 sq., quæ exempla, cum de donis deorum agatur, ambigua sunt. Versus 993 εἰ θείης, Ἀκάδημε, ἐφίμερον ὕμνον ἀείδειν, si recte se habet, significat 'si proposueris hymnum ad canendum,' attribuendusque est generi IIIa; sed insolenter dictum hoc videtur pro eo quod sit 'si canendi certamen institueris,' quare arridet Turnebi coniectura εἴθ' εἴη σ' κτλ. Cf. σ 366 sqq., quo ex loco hic fortasse ductus est. Non sunt omnino prætereundi versus 157 sq. Ζεὺς γάρ τοι τὸ τάλαντον ἐπιρρέπει ἄλλοτε ἄλλως, | ἄλλοτε μὲν πλουτεῖν, ἄλλοτε μηδὲν ἔχειν, sed ex voce τάλαντον ἐπιρρέπει tamquam verbo volendi infinitivus pendet, cf. κατανεύω cum infinitivo coniunctum B 112 sq. = I 19 sq., h. ad Herm. 524 sq.; Æsch. Ag. 250 sq. Δίκα δὲ τοῖς μὲν παθοῦσιν μαθεῖν ἐπιρρέπει.

Dionysius Chalcus 3, 1 sqq. κότταβον ἐνθάδε σοὶ τρίτον ἑστάναι[1] οἱ δυσέρωτες | ἡμεῖς προστίθεμεν γυμνασίῳ Βρομίου | κώρυκον, gen. II. Locus apud obscurum poetam obscurissimus hæc videtur significare: 'cottabum hic tibi statuimus ut stet (tamquam) tertius (ludus), follis in gymnasio Bromii.'[2]

Critias 2, 27 sq. οὐκ ἔστ' ἀπότακτος | ἡμέρα οἰνῶσαι σῶμ' ἀμέτροισι πότοις, gen. IV.

Semonides Amorginus 3, 1 πολλὸς γὰρ ἡμῖν ἐστι τεθνάναι χρόνος, gen. IV.

Hipponax 40 (43), 3 sq. ὡς ἂν ἀλφίτων ποιήσωμαι | κυκεῶνα, πίνειν φάρμακον πονηρίης,[3] gen. IIIa, sed primo quoque adscribi potest.

De aliis constructionibus.—Participium futuri cum verbis eundi coniunctum est Solon 1, 7 sq. (2, 5 sq. Bgk.); 2 (4), 16; Dionysius Chalcus 2, 1; [Plato] 1, 2 ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη, ubi ὡς particula adiecta est. Cum verbis mit-

[1] Sic Athenæi codices, quos secuti sunt Hiller-Crusius; ἱστάναι Bergk, cum Casaubono.

[2] Vide Buecheler, Neue Jahrb., 111, p. 125.

[3] Lectionem traditam πίνων servavit Bergk.

tendi coniunctum relatumque ad accusativum est Solon 12 (13), 75 sq.; Hipponax 43 (46). De loco corrupto Theogn. 337 sq. et fragmento Archilochi 79 (82), ubi deest enuntiatum principale, nihil dici potest.

Enuntiata finalia adverbiis coniuncta sunt numero V apud Theognin, IV apud ceteros,[1] sed vix ullum exemplum cum infinitivo comparari potest.

Iam cum hæ constructiones nihil novi adferant, eo memorabilior est usus *ὥστε* particulæ, quæ invenitur non modo ubi infinitivus ad aliquod vocabulum enuntiati principalis tamquam subiectum suum est relatus, Theogn. 413 sq. 502 sq. 917 sqq. 1388 sq. Cleobulina 2 (1 Bgk.), sed etiam ubi exstat subiectum proprium vel audiri potest, Theogn. 521 sq. 559 sq.[2] 1363 sq. (559 sq. 917 sqq. 1363 sq. accedit *μή* particula, 521 sq. *οὐ*), Critias 2, 15 sq. Unde apparet hanc constructionem iam fere æque ac nudum infinitivum frequentari.

C. *Poetæ Philosophi: Xenophanes, Parmenides, Empedocles*[3]

Xenophanes 36 *ὁππόσα δὴ θνητοῖσι πεφήνασιν εἰσοράασθαι*, gen. IV. Sed huius versus, quem adfert Herodianus *περὶ διχρόνων* 296, 9, ubi de mensura verborum in *ασι* desinentium disserit, sententia fortasse non est perfecta, atque infinitivus ex aliquo vocabulo versus insequentis pendere potuit.

Parmenides 1, 26 sq. *χαῖρ', ἐπεὶ οὔτι σε μοῖρα κακὴ προὔπεμπε νέεσθαι | τήνδ' ὁδόν*, gen. II. 8, 37 sq. *ἐπεὶ τό γε Μοῖρ' ἐπέδησεν | οὖλον ἀκίνητόν τ' ἔμεναι*, gen. II. 10, 6 sq. *ὥς μιν* (sc. *οὐρανόν*) *ἄγουσ' ἐπέδησεν 'Ανάγκη | πείρατ' ἔχειν ἄστρων*, gen. II. 12, 5 sq. (*δαίμων*) *πέμπουσ'(α) ἄρσενι θῆλυ μιγῆν*[4]

[1] Weber, Absichtssätze, I, p. 76.

[2] *λῷστα* pro *ὥστε* Bergk, ex Geelii coniectura.

[3] Hæc fragmenta laudata sunt ex editione Dielsii, Poetarum Philosophorum Fragmenta, Berol., 1901; sed cf. etiam eiusdem 'Fragmente der Vorsokratiker,' ed. 2, vol. 1, Berl., 1906.

[4] Sic Diels, Steinium secutus; codd. *μιγέν*.

τό τ' ἐναντίον αὖτις | ἄρσεν θηλυτέρῳ, gen. II. 4, 2 *αἵπερ ὁδοὶ μοῦναι διζήσιός εἰσι νοῆσαι*, gen. IV. Infinitivi autem ad verba *ὁρμάομαι* 11, 3 sq., *σπέρχομαι* 1, 8 sq., *ὄρνυμι* 8, 9 sq., relati, ad explendam sententiam videntur inservire.

Empedocles 35, 5 *ἐν τῇ δὴ τάδε πάντα συνέρχεται ἓν μόνον εἶναι*, gen. I. 17, 1 sq. = 17, 16 sq. *τοτὲ μὲν γὰρ ἓν ηὐξήθη μόνον εἶναι | ἐκ πλεόνων, τοτὲ δ' αὖ διέφυ πλέον' ἐξ ἑνὸς εἶναι*, gen. I. 112, 10 sq. *οἱ δ' ἐπὶ νούσων | παντοίων ἐπύθοντο κλύειν εὐηκέα βάξιν*, exemplum insigne generis I. 73, 2 (*χθόνα*) *θοῷ πυρὶ δῶκε κρατῦναι*, gen. IIIa. Restat locus 4, 12 sq. *μήτε τι τῶν ἄλλων, ὁπόσῃ πόρος ἐστὶ νοῆσαι, | γυίων πίστιν ἔρυκε*, ubi infinitivus, cum notionem vocis *πόρος ἐστί*, 'facultas est,' expleat, non est generi IV adscribendus.

De aliis constructionibus. — In his fragmentis nec participia futuri neque enuntiata finalia sunt quæ cum infinitivo comparari possint; sed duo enuntiata relativa similitudinem habent generis IV: Parm. 8, 23 *οὐδέ τι τῇ μᾶλλον, τό κεν εἴργοι μιν συνέχεσθαι*, et 8, 46 sq. *οὔτε γὰρ οὔ τεον ἔστι, τό κεν παύοι μιν ἱκνεῖσθαι | εἰς ὁμόν*.

Cum infinitivo *ὥστε* particula est coniuncta Emped. 100, 4 sq., ubi alteri infinitivo est subiectum in accusativo positum, et Parm. 8, 17 sq., ubi post *ἐάω* verbum particula abundat. Atque exemplum simplicis *ὡς* addendum sit, si Xenoph. 15, 1 sq., *εἰ χεῖρας ἔχον βόες ἠὲ λέοντες | ἢ γράψαι χείρεσσι κτλ.*, pro *ἢ* quod est in codicibus, Hilleri coniecturam *ὡς* recipiamus; sed vide Dielsium ad loc. in Poet. Phil. Fragmentis. Denique vox *ἐφ' ᾧ τε* cum infinitivo primum coniuncta est Emped. 4, 6 sqq. *μηδέ σέ γ' εὐδόξοιο βιήσεται ἄνθεα τιμῆς | πρὸς θνητῶν ἀνελέσθαι, ἐφ' ᾧ θ' ὁσίης πλέον εἰπεῖν κτλ.*

D. *De syntaxi generali infinitivorum huius capitis*

His in fragmentis dispersis nec raro corruptis non multa adnotari possunt. Infinitivus significationis re vera passivæ est loco dubio Hom. Epigr. 14, 4 (*φρυχθῆναι*), temporis perfecti

Dionys. Chalc. 3, 1 (*ἑστάναι*), et Sem. Amorg. 3, 1 (*τεθνάναι*). Nomina prædicata ad nominativum relata sunt Emped. 35, 5 et 17, 1 sq. = 17, 16 sq., ad accusativum Hom. Epigr. 4, 1, Dionys. Chalc. 3, 1 sqq., Parm. 8, 37 sq. Infinitivus inter vocabula enuntiati principalis est interiectus Mimn. 4, Theogn. 1057 sq. (loco ambiguo), Sem. Amorg. 3, 1; atque adeo verbo antecedit Theogn. 467, Dionys. Chalc. 3, 1 sqq.

Quod autem ad usum universæ constructionis attinet, tantum abest ut in his carminibus maximam quidem partem deperditis imminutus videatur ut novæ quædam conformationes infinitivi inducantur, e quibus præcipue commemorandæ sunt hæ: Theogn. 41 sq. 467 (p. 56); Crit. 2, 27 sq., Sem. Amorg. 3, 1 (p. 57); Parm. 4, 2, Emped. 35, 5. 17, 1 sq. = 17, 16 sq. 112, 10 sq. (p. 59); atque Hom. Epigr. 14, 2 sqq. (p. 56), si locus fide dignus est. Sed non minoris est alia res momenti, quod huiusmodi infinitivo *ὥστε* particula sæpius adiungere se cœpit, cuius sunt in fragmentis elegiacorum exempla IX, in philosophorum II.

INDEX LIBRORUM

QUIBUS PRÆCIPUE SUBSIDIIS USUS SUM

I. *Editiones scriptorum Græcorum.*

A. *Homeri.*

Clarke, S., et Ernesti, J. A. Homeri Opera Omnia. Glasguæ, 1814.

Doederlein, D. L. Homeri Ilias. Lipsiæ, 1863–1864.

Düntzer, H. Homers Odyssee. Erklärende Schulausgabe. Paderborn, 1863.

——— Homers Ilias. Erklärende Schulausgabe. Paderborn, 1866.

La Roche, J. Homeri Odyssea. Lipsiæ, 1867–1868.

——— Homers Ilias, für den Schulgebrauch erklärt. Berlin, 1870–1871.

——— Homeri Ilias. Lipsiæ, 1873–1876.

Hayman, H. The Odyssey of Homer. Vol. III. Books XIII to XXIV. London, 1882.

Pierron, A. L'Iliade d'Homère. . . . Deuxième édition. Paris, 1883–1884.

——— L'Odyssée d'Homère. . . . Deuxième édition. Paris, 1887–1888.

Merry, W. W., et Riddell, J. Homer's Odyssey. Second edition. Vol. I. Books I–XII. Oxford, 1886.

Cauer, P. Homeri Odyssea. . . . Lipsiæ, 1886–1887.

——— Homeri Ilias. . . . Editio maior. Vindobonæ, 1890–1891.

Ameis, K. F., et Hentze, C. Homers Ilias, für den Schulgebrauch erklärt. Leipzig, 1894–1906.

——— ——— Homers Odyssee, für den Schulgebrauch erklärt. Leipzig, 1895–1901.

van Leeuwen, J., et Mendes da Costa, M. B. Homeri Iliadis Carmina. Editio altera. Lugduni Batavorum, 1895–1896.

——— ——— Homeri Odysseæ Carmina. Editio altera. Lugduni Batavorum, 1897–1898.

Monro, D. B. Homeri Opera et Reliquiæ. Oxonii, 1896.

——— Homer, Iliad, Books I–XII. Fifth edition. Oxford, 1899. Books XIII–XXIV. Fourth edition. Oxford, 1897.

——— Homer's Odyssey. Books XIII–XXIV. Oxford, 1901.

Merry, W. W. Homer, Odyssey, Books I–XII. Oxford, 1899. Books XIII–XXIV. Oxford, 1896.

Leaf, W. The Iliad. Second edition. London, 1900–1902.

Monro, D. B., et Allen, T. W. Homeri Opera. Tomi I et II (Ilias). Oxonii, 1902.

Ludwich, A. Homeri Ilias. Lipsiæ, 1902–1907.

B. *Hesiodi.*

Schoemann, G. F. Hesiodi quæ feruntur Carminum Reliquiæ. Berolini, 1869.

Goettling, C., et Flach, J. Hesiodi Carmina. Editio tertia. Lipsiæ, 1878.

Paley, F. A. The Epics of Hesiod. Second edition. London, 1883.

Flach, J. Hesiodi quæ feruntur Carmina. Lipsiæ, 1885.

Rzach, A. Hesiodi Carmina. . . . (Editio maior). Lipsiæ, 1902.

Berliner Klassikertexte. . . . V, 1. Epische und elegische Fragmente bearbeitet von W. Schubart und U. von Wilamowitz-Moellendorf. Berlin, 1907.

C. *Hymnorum Homericorum.*

Baumeister, A. Hymni Homerici. Lipsiæ, 1860.

——— Hymni Homerici accèdentibus epigrammatis et batrachomyomachia. Lipsiæ, 1882.

Gemoll, A. Die homerischen Hymnen. Leipzig, 1886.

Ludwich, A. Hymnus Homericus in Mercurium. . . . Progr. Regimontii, 1890.

Sikes, E. E., et Allen, T. W. The Homeric Hymns. London, 1904.

D. *Reliquorum poetarum priscorum.*

Kinkel, G. Epicorum Græcorum Fragmenta. Vol. I. Lipsiæ, 1877.

Ludwich, A. Die homerische Batrachomachia. . . . Leipzig, 1896.

Bergk, T. Poetæ Lyrici Græci. Editionis quartæ vol. II, poetas elegiacos et iambographos continens. Lipsiæ, 1882.

Hiller, E., et Crusius, O. Anthologia Lyrica. . . . Lipsiæ, 1904.

Diels, H. Poetarum Philosophorum Fragmenta. . . . Berolini, 1901.

——— Die Fragmente der Vorsokratiker. Griechisch und Deutsch. Zweite Auflage. Erster Band. Berlin, 1906.

II. *Scripta critica et philologica.*

Albrecht, C. De accusativi cum infinitivo coniuncti origine et usu Homerico. (Studien zur griechischen und lateinischen Grammatik, herausg. von G. Curtius, IV. 1–58.)

Ameis, K. F., et Hentze, C. Anhang zu Homers Ilias. Leipzig, 1882–1900.

——— Anhang zu Homers Odyssee. Leipzig, 1889–1900.

Berdolt, W. Zur Entwickelungsgeschichte der Konstruktionen mit *ὥστε*. . . . Progr. Eichstätt, 1894.

Bolling, G. M. The Participle in Hesiod. Diss. Washington, 1897.

Brugmann, K. Griechische Grammatik. Dritte Auflage. München, 1900.

——— Kurze vergleichende Grammatik der indogermanischen Sprachen. Strassburg, 1902–1904.

Capelle, C. Die neueren arbeiten auf dem gebiete der homerischen syntax. (Philologus, 37. 89–129.)

Classen, J. Beobachtungen über den Homerischen Sprachgebrauch. Neue Ausgabe. Frankfurt a. M., 1879.

Delbrück, B. Syntaktische Forschungen. Vol. I (Der Gebrauch des Conjunctivs und Optativs im Sanskrit und Griechischen). Halle, 1871. Vol. IV (Die Grundlagen der griechischen Syntax). Halle, 1879. Vol. V (Altindische Syntax). Halle, 1888.

——— Ueber den indogermanischen, speciell den vedischen dativ. (Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung, . . . herausg. von A. Kuhn, . . . 18. 81–106.)

——— Vergleichende Syntax der indogermanischen Sprachen. (Grundriss der vergleichenden Grammatik der indogermanischen Sprachen, III–V. Strassburg, 1893–1897.)

Draeger, A. Historische Syntax der lateinischen Sprache. Zweite Auflage. Leipzig, 1878–1881.

Ebeling, H. Lexicon Homericum . . . edidit H. Ebeling. Lipsiae, 1880–1885.

Gildersleeve, B. L., et Miller, C. W. E. Syntax of Classical Greek. . . . First Part. . . . New York, 1900.

Goodwin, W. W. Syntax of the Moods and Tenses of the Greek Verb. Boston, 1900.

Hentze, C. Aktionsart und Zeitstufe der Infinitive in den homerischen Gedichten. (Indogermanische Forschungen, 22. 267–289.)

——— Zur Entwickelungsgeschichte der Finalsätze auf Grund der homerischen Epen. (Philologus, 65. 161–192.)

Humphreys, M. W. The Problems of Greek. (Congress of Arts and Science, Universal Exposition, St. Louis, 1904, Vol. III. 162–172.)

Jolly, J. Geschichte des Infinitivs im Indogermanischen. München, 1873.

Keil, A. De particularum finalium Græcarum vi principali et usu Homerico. Diss. Halis Saxonum, 1880.

Koch, K. Zum Gebrauch des Infinitivs in der homerischen Sprache. Progr. Braunschweig, 1871.

Kühner, R., et **Blass, F.** Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache. Erster Teil: Elementar- und Formenlehre. Dritte Auflage. . . . Hannover, 1890–1892.

——— et **Gerth, B.** Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache. Zweiter Teil: Satzlehre. Dritte Auflage. . . . Hannover, 1898–1904.

La Roche, J. Der Infinitiv bei Homer. (Homerische Untersuchungen, zweiter Teil, pp. 1–78, Leipzig, 1893.)

Lehrs, K. De Aristarchi Studiis Homericis. Editio tertia. Lipsiæ, 1882.

Meierheim, C. De infinitivo Homerico capita III. Specimen I. Diss. Gottingæ, 1875.

Meyer, L. Der Infinitiv der homerischen Sprache. Diss. Göttingen, 1856.

——— Handbuch der griechischen Etymologie. Leipzig, 1901–1902.

Monro, D. B. A Grammar of the Homeric Dialect. Second edition. Oxford, 1891.

Paley, F. A. On some Peculiarities in the use of Future Participles of Greek Verbs. (Journal of Philology, 8. 79–82.)

Prellwitz, W. Etymologisches Wörterbuch der griechischen Sprache. Zweite Auflage. Göttingen, 1905.

Seip, O. De participii et infinitivi apud Hesiodum usu. Diss. Gissæ, 1886.

Seume, H. De sententiis consecutivis Græcis. Diss. Gottingæ, 1883.

Stahl, J. M. Kritisch-historische Syntax des griechischen Verbums der klassischen Zeit. Heidelberg, 1907.

Steinacher, J. Die Syntax des Hesiodeischen Infinitivs mit stetem vergleichenden Rückblick auf Homer. Landskron, 1885.

van Leeuwen, J. Enchiridium Dictionis Epicæ. Lugduni Batavorum, 1892–1894.

Weber, P. Entwickelungsgeschichte der Absichtssätze. Erste Abtheilung: von Homer bis zur attischen Prosa. (Beiträge zur historischen Syntax der griechischen Sprache, herausg. von M. Schanz. Heft 4. Würzburg, 1884.)

Weigel, F. Quæstiones de vetustiorum poetarum elegiacorum græcorum sermone. . . . (Dissertationes Philologæ Vindobonenses, III. 109–238.)

Wilhelm, E. De infinitivi linguarum Sanscritæ Bactricæ Persicæ Græcæ Oscæ Umbræ Latinæ Goticæ forma et usu. Isenaci, 1873.

VITA

Natus sum Charles Jones Ogden anno MDCCCLXXX Brooklynii in civitate Neo-Eboracensi. Ibi postquam litterarum elementis in Academia Polytechnica eruditus sum, in Collegium Columbiae sum admissus, cursuque studiorum rite perfunctus, cum per triennium iuri legibusque et scientiæ rerum politicarum operam dedissem, ad gradus baccalaurei in legibus et magistri in artibus ab eadem universitate provectus sum anno MDCCCCIII. Sed quod in negotiis iudiciisque ægre carebam studiis doctrinæ, ad litteras humaniores olim dilectas neque umquam penitus omissas rursus me contuli. Quam in disciplinam benigne me acceperunt viri eruditi qui scholas in Universitate Columbiae habebant de lingua litterisque Graecis Perry, Wheeler, Young, de Latinis Peck, McCrea, Knapp, de Indicis Jackson; ac primum scholaris, deinde socius Drislerianus, postremo adiutor in docendo factus sum. Iis viris omnibus gratiam et decet referre et iuvat, sed præcipue viro doctissimo comissimoque Edward Delavan Perry, cuius sine consilio hoc opusculum neque susceptum neque absolutum esset.